MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80620-3

AUTHOR:

KUKLINSKI, ROBERT G.

TITLE:

CRITICA PLAUTINA...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1884

Master Negative #

92-80620-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books      FUL/BIB   NYCG92-B36507         Acquisitions      NYCG-NEH
Record 1 of 0 - SAVE record
+
 ID:NYCG92-B36507          RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:        AD:06-01-92
 CC:9668  BLT:am     DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:      ATC:       UD:06-01-92
 CP:gw       L:lat   INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?     CON:???
 PC:s      PD:1884/           REP:?    CPI:?    FSI:?     ILC:????   II:?
 MMD:        OR:    POL:     DM:     RR:        COL:      EML:      GEN:   BSE:
 040     NNC‡cNNC
 100 1   Kuklinski, Robert.
 245 10  Critica Plautina commentationibus grammaticis illustrata‡h[microform].
        ‡bDissertatio inauguralis philologica quam...‡cscripsit et edidit Robert
        us Kuklinski.
 260     Berolini,‡btypis expressit A. W. Schade (L. Schade),‡c1884.
 300     54 p.
 LDG     ORIG
 QD      06-01-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB / IIB

DATE FILMED: 4/8/93 INITIALS MJ

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

CRITICA PLAUTINA COMMENTATIONIBUS GRAMMATICIS ILLUSTRATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
ALMAE LITTERARUM UNIVERSITATIS
GEORGIAE AUGUSTAE GOTTINGENSIS
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT ET EDIDIT

ROBERTUS KUKLINSKI
BORUSSUS OCCIDENTALIS.

BEROLINI MDCCCLXXXIV
TYPIS EXPRESSIT A. W. SCHADE (L. SCHADE)
STALLSCHREIBERSTR. 45/46.

FRIDERICO HOFMANN

GYMNASII BEROLINENSIS

ZUM GRAUEN KLOSTER

DIRECTORI

ANIMO GRATO AC PIO

D.

PRAEFATIO.

In his foliis nonnulla afferre volui ad artem grammaticam latinam. Atque praecipue tractatae sunt significatio pronominum ***tute***, ***tete*** et collocatio particularum affirmativarum ***edi***, ***edepol***, ***ecastor***. Ad quas commentationes cum studium Plauti me maxime incitavisset, ad hunc potissimum poetam eas referendas censui, qui praesertim amplissimam quaerendi copiam exhiberet maximamque inde utilitatem capturus esset. Atque qualis utilitas esset ut statim a limine cognosceretur, eam ingressus sum viam, ut ad locum, de quo viri critici dissentirent, quae dicenda videbantur adnotarem. Hac quidem ratione disputandi materia deminuebatur. Nam una cum vocibus *tute* et *tete* tractari apte potuerunt *egomet, tibimet, semet, nosmet* all., quibus pronominibus propter suffixum *met* cum illis quaedam cognatio est, atque cum eis affirmandi vocibus quas nominavi aliae, de quarum collocatione certius non iam constaret, *hercle*, *pol*, *mecastor*, *profecto*, *certe* cett. Sed ab his initiis facile ad illas quaestiones pergetur. Atque vel haec materia propter rei subtilitatem, quam nimia loquendi ubertate evitata tamen quam maxime perspicuam reddere semper studendum erat, et propter exemplorum multitudinem haud parva fuit. Quo vero firmius iudicium meum fieret, quaerens apud Plautum non constiti, sicut altera ex parte ultra poetas scenicos et aetatem liberae rei publicae non progressus sum. Fabulae enim earumque dialogi ac praesertim comoediarum, in quibus sermo familiaris patet, et pronominum *tute, tete*, quippe quae appellationi adhibeantur, et particularum affirmativarum tam uberem fontem exhibent, ut vel inde certius iudicium hauriatur. Deinde vero posteriores scriptores assumere propterea non necessarium videbatur, quod vetustior linguae latinae aetas, cuius locus ille, e quo hae quaestiones exeunt, sunt, in universum a posteriore magis diversa est, quam ut

illam propriam percensere ad locum illum quidem emendandum non satis sit. — Iam addo quibus auxiliis usus sim. Adhibui Plauti illas fabulas, quas ediderunt Ritschelius (Militem gloriosum, Bacchides, Pseudolum, Menaechmos, Mostellariam, Persam, Trinummum ed. II, a. 1871), Goetzius (Epidicum, Curculionem, Aulularium), idem secundis post Ritschelium curis (Mercatorem a. 1883, Stichum a. 1883), idem et Loewe (Asinariam, Amphitruonem, Poenulum), Schoell (Truculentum), Fleckeisenus (Captivos, Rudentem), Gronovius (ed. Ernest. Lips. a. 1760, Casinam, Cistellariam), Terentium Vmpfenbachianum. Discrepantias librorum manuscriptorum, quas, quoad per eorum statum et integra quaestionis severitate fieri poterat, ex optimis tantum attuli, ex Plauti scilicet codice Ambrosiano (A), Camerarii 'Vetere' Vaticano (B), eiusdem 'Codice altero' sive Parei 'Decurtato' Palatino (C) aut, ubi hic deerat, Vrsini Vaticano (D), ex Terentii Bembino (A) et Victoriano (D) — differentias huiusmodi: *aedepol* pro *edepol*, *castor* pro *ecastor* e. s. ubi licebat praetermisi — ad illum attuli ex editionibus quas supra enumeravi Ritschelii, Goetzii, G.-Loewii, Schoellii, deinde ex Brixii Captivis (ed. exeget. III, Lips. a. 1876: vid. praef.), Gepperti Casina (ed. it. ib. a. 1866), Parei (ed. II, Neap. Nemet. a. 1619) Rudente et Cistellaria, ad Terentium ex apparatu critico Vmpfenbachii. Praetera assumpsi, quae Studemundus e codice Ambrosiano communicavit de Plauti Vidularia (Ind. lect. Gryphisw. a. 1870 — 1871), de eiusdem Cistellaria idem (cod. Ambros. p. 200: Herm. I [a. 1866] p. 299) et Angelo Mai (Plaut. fragm. ined. Mediol. a. 1815). Cetera Plauti fragmenta enotavi ex editione Gronovio-Ernestiniana. Denique in citandis ceterorum veterum poetarum scenicorum exemplis collectiones illas secutus sum, quas edidit et apparatu critico instruxit Ribbeckius, comicorum (ed. II, a. 1873) et tragicorum (ed. II, a. 1871). — Cetera, quae ad propriam cuiusque commentationis formam pertinebant, suo loco monita sunt aut ipsa, spero, se probabunt.

CRITICA GRAMMATICA.

Plaut. Trin. 606

Nón credibile dícis. St. At ***tu núllus edepol*** *créduas.*

Sic Ritschelius in Trinummi altera editione (a. 1871). Neque cuiquam dubium fuit, quin ad explendum septenarii numerum apte et probabiliter quod in libris manuscriptis exhiberetur *credas* cum Camerario mutasset in *creduas*[1]). Quae autem in cetero versu testimonio codicum relicto mutavit, non eadem firmitate steterunt. Quod prius quidem ad traditam formam *dices* attinet, Teuffelius hanc lectionem ea probabilitate tueri conatus est[2]), quae ad Ritschelii scripturam *dicis* reiciendam sufficere videatur. Atque satis habeo illius explicationem, quam Brixius[3]) et Spengelius[4]) secuti sunt, commendasse. Equidem potius illustrabo codicum quae certe corruptelam exhibent verba *tu a edepol nullus* (B) vel *tua edepol nullus* (C), de quibus viri critici satis certo non iudicaverunt.

Atque Ritschelius ipse non semper eandem lectionem probavit, sed in proll. Trin. ed. I (a. 1848), p. CXCIII sq. ad speciem proditae multo propius accessit. Quo loco versum hunc, cuius formam hiatu servato hanc proponit

Nón credibile dícis. St. At ***tu édepol nullus*** *créduas.*

---

[1]) Eodem loco septenarii trochaici *creduas* Bacch. 476 (sic D, in B *u* suprascriptum, sed ead. m.), *adcreduas* As. 854 (BD). Vltimo loco senarii iambici *creduam* Poen. 747, *creduat* Bacch. 504 (mss. c. A). 847.

[2]) Fleckeis. annal. vol. 105 (a. 1872) p. 831 sq.

[3]) ed. III, Lips. a. 1879.

[4]) ed. Berol. a. 1875.

cum aliis eiusdem fabulae septenariis trochaicis confert, in quibus post caesuram principalem hiatur, atque eis adscribit, in quibus verborum constructione eae ipsae voces, quas discriminet hiatus, ligentur potius et continuae pronuntiationis necessitate vinciantur, ut hiatui admittendo omnino sat commodos esse neget. Et verba *at tu edepol* dirimere eo minus licere, quod ea fortissima interpunctio praecedat. Itaque cum Bothio ex *tu a* vel *tua* efficiendum *tute* ei videbatur neque hanc scripturam in textum recipere dubitavit, 'etsi', ut iam illo loco ait, 'nullo negotio transponi *nullus edepol* potuit'. Quarum mutationum neutra placuit Gepperto, sed ipse etiam liberius egit. Hic enim, quamquam in praefatione Trinummi editionis [1]) monet, se hiatum, de quo sibi non constaret, nusquam delevisse, nisi quibus locis codices ipsi causam praebuissent aut ubi non alio eiusdem hiatus eodem versus loco exstantis exemplo illum probare potuisset, tamen codicum illa littera *a* neglecta inter *At* et *tu* novum vocabulum interposuit, ut sententia fieret *At tum tu edepol nullus creduas*. Hanc lectionem ita probavit, ut veri simile esse negaret [2]), hiari post vocem *tu* non acutam, quae saepius vel ut consonans enuntiata esse videretur [3]). Fleckeisenus deinde fecit cum Ritschelio [4]), nescio an iisdem causis. Illum certe hiatum, quem Ritschelius alia condicione propter caesuram retinuisset, ipse etiam ea quam octo annis ante statuerat lege [5]) tueri poterat, qua lege omnibus quae in productam vocalem aut consonantem *m* exirent monosyllabis ante vocalem correptam hiatum efficere liceret. Eandem legem agnovit Brixius, sed ipsa septenarii caesura satis hunc hiatum excusari iudicavit, ut scripturam *At tu edepol* retineret [6]). Qui autem post hanc editionem locum hunc tractaverunt, a libris manuscriptis omnes discesserunt longius. Quorum primus et longissime Muellerus, qui Bothii lectionem et hiatum prorsus improbans

[1]) Berol. a. 1854 p. XIV.

[2]) ib. adnot. ad v. 605 (= 606 R.) p. 163.

[3]) cf. ib. adnot. ad v. 589 p. 162.

[4]) Trin. ed. Lips. a. 1859.

[5]) Annal. philol. a. 1851 p. 53.

[6]) Trin. ed. I Lips. a. 1864 cf. ad eund. v. adnot. — Lorenzius, qui de hac editione accurate copioseque iudicavit (Doct. ind. Gotting. a. 1868 p. 1174 sqq. praecip. 1190 sqq.), illum locum non commemoravit.

poetam *Ain tu? ergo edepol* aut *mi* aut *Sane tu edepol* scripsisse suspicatus est [1]). Cautius duobus annis post Ritschelius, quamvis hiatum tum quoque respueret, in altera Trinummi editione, ut supra docui, transpositionem *nullus edepol* praetulit, hoc breviter adnotans, Bothii scripturam se non debuisse tueri. Nec vero primus transposuit, sed eadem emendandi via eum praeiverat cum Reizio Hermannus [2]). Et haec quidem lectio ad hunc diem in textu permansit. Iam anno insequente vel Brixius eam in alteram huius comoediae editionem recepit. Atque eandem post eum amplexi sunt Wagnerus [3]) et Spengelius [4]). Denique eam abhinc quinque annos Brixius vel in tertiam editionem [5]) recepit, sed idem in appendice critica [6]), ubi illa littera *a* omissa verba *at tu edepol* ut codicum lectionem adnotat, se offendere ait in voce negativa *nullus* particulae affirmativae hac condicione praeposita, atque cum quae tradatur verborum collocatio usui omnino conveniat, scribere praeoptare *At [tum] tu edepol nullus creduas*, quam Gepperti coniecturam fuisse non commemorat, ut ad eandem ipse pervenisse videatur.

Quorum criticorum conaminum illud Bothianum, *tute* pro *tu a* (*tua*), vel propterea dignum est, quod primum spectetur, quod unum litteram post *tu* certo traditam *a* non prorsus neglegit. Sane nobis concedendum est, si ad communem librorum manuscriptorum statum respicimus, perfacile eam inter voces *tu* et *edepol* vel scriptura quamvis insolenti *aedepol* vel similitudine quadam propinquarum litterarum vel alia librariorum socordia, quippe quae perquam saepe deprehendatur, in textum illorum codicum omnino irrepere potuisse, cum praesertim huic loco non auctoritas gravioris palimpsesti Ambrosiani succurrat. Altera autem ex parte ad explendam sententiam simplex pronomen *tu* satis erat. Nam in tali contrapositione *Non credibile dices* ∾ *At tu nullus edepol creduas* primum id interest, acui in responso negationem (*nullus*). Ac ne numerus quidem bisyllabum *tute*

[1]) Prosod. Plaut. a. 1869 p. 568.

[2]) Trin. ed. Lips. a. 1800.

[3]) Trin. ed. Cantabrig. a. 1872.

[4]) Trin. ed. Berol. a. 1875.

[5]) Trin. ed. III. Lips. a. 1879.

[6]) ib. p. 140.

poscit, quamquam pronomine *tu* servato hiatum efficit. Ad quem defendendum, ut recte ait Brixius [1]), ne illa quidem lege Fleckeiseniana opus est. Nam post caesuram principalem septenariorum trochaicorum in codicibus tam saepe et certo ille traditus est, ut non sit utique negandus [2]), atque Muellerus, qui negat, eorum exemplorum quae exponit multitudine ipsam sententiam ei contrariam probavit [3]). Quod autem hoc hiatu verba grammatice cohaerentia dirimuntur, ne id quidem, nisi aliud quidquam accederet, Ritschelio satis causae esse debuit, cur quidquam vellet mutare, siquidem, quod concedit [4]), caesura principali ipsa hiatus excusatur. Licet vero Plautus hiatuum non impatiens sit, tamen apud eum non tanta eorum licentia observatur, ut manuscriptorum vestigia, quibus deleri videantur, neglegere liceat. Accedit quod Bothii emendatio simplicior est, quam ut incognita causa probaliter reiciatur. Nam suffixum *te* perexigua syllaba enuntiatum auget. Sed quaerendum est, quod maximi est momenti, num illius simplicis *tu* loco *tute* substitui possit, atque subtilius quaeritur, num *tute*, nisi eandem vim exhibeat quam simplex *tu*, tamen sententiae aptum sit. Adhibetur autem simplex *tu* aut abundanter aut personarum distinctioni. Quarum significationum priorem hoc loco sententiae satis fuisse iam supra docui, sed, etsi vox negativa *nullus* maxime acuatur, praeterea acuto pronomine *tu* personam appellatam disertius notari non necessario videtur negandum. Quod ut demonstretur, haud opus est conexum sententiarum spectare. Nam in ipsa tali contrapositione *Non credibile dices* ∾ *At tu nullus edepol creduas* semper fieri potest, ut respondens persona appellatam, quam non credere iubeat, simul intento *tu* quodammodo ab aliis distinguere, quas credere velit, quo contumacius significet, appellatam personam sibi non credere sua nihil interesse (*Glaub'* ***du*** *es doch* ***nicht***). Quarum interpretationum nimirum illa, quia simplicior est, magis placet, sed quis contenderit confidenter, poetam simul hoc alterum cum scriberet non cogitasse et exprimere voluisse?

1) l. l. adnot. ad h. v.
2) vid. collectionem apud Spengelium Plaut. p. 178 sqq.
3) Prosod. Plaut. (ed. Berol. a. 1869) p. 542 sqq.
4) proll. Trin. p. CXCII sqq.

Neque igitur hoc loco cognosci potest, utrum *tute*, si poneremus, idem esset quod *tu* abundanter an distinguendi causa appositum. Quod fieri omnino utrumque posse Ritschelius quidem non videtur dubitasse, cum apud eum praeter locos, quibus *tute* pro acuto *tu* restituerit, ei exstant, quibus illud omni distinctione careat. Quod alterum paucis declaretur exemplis. Men. 379 interrogat Messenio servus Erotium meretricem, quae neque eum neque Menaechmum erum eius novit, tamen hunc, ubi primum aspexit, familiariter appellavit. Quam interrogationem libri scripti sic produnt *Vbi* ***tu*** *hunc hominum novisti?* Pronomen *tu* non acui in promptu est. Ritschelius autem — ut hiatum deleat — secutus Bothium *tute* pro *tu* posuit. Most. 319 adulescens Callidamates, qui prae ebrietate stare vix potest, Delphium meretricem balbutiens interrogat. *Ecquid tibi videor ma — ma — madere?* Cui illam Ritschelius sic respondentem facit (v. 320) *Semper istoc modo* ***tute*** *moratu's*, ubi codices *tute* omittunt. Hoc quoque loco personarum distinctio improbatur. De quo pronominis *tute* usu disertius nusquam quoad sciam Ritschelius exposuit. Eiusdem vero sententiam, quam deprehendimus, *tute* nonnumquam accentu carere, hodie nequaquam emortua videtur. Diserte sane probatum id nusquam inveni. Sed cum Spengelius ad Ter. Andr. [1]) v. 82 ***Egomet*** *continuo mecum* (sc. *loquor*) adnotat, vocem *egomet* apud comicos saepe 'ohne besondere Hervorhebung' exstare, credendum est, eundem huiusmodi locis Ter. Ht. 200 *Quid* ***tute*** *tecum?* (sc. *loqueris*), quod exemplum eiusdem generis est, pronomen *tute* non acutum putare. Contra docet Holtzius [2]) haec: 'Vt maior etiam vis addatur his pronominibus' (sc. personalibus), 'suffixa eis adduntur *met te pte*', quamquam acutum *tute* ab acuto *tu* non discernit. Atque Vahlenum in scholis Terentianis [3]) memini diserte ac saepius dicere, in pronomine *tute* semper quandam gravitatem inesse, qua sententia si non amplius hoc certe significatur, numquam illud pro pronomine *tu* non acuto substitui. Neque desunt, qui vocem compositam *tute* idem valere atque

1) ed. Berol. a. 1875.
2) 'Syntaxis priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium' vol. I (ed. Lips. a. 1861) p. 349 sq.
3) hieme a. 1882 ad 1883.

simplicem *tu* plane negaverint. Velut Muellerus [1]) ad Pl. Poen IV, 2, 33 (= 855 G.-L.) *Vt enim, ubi mihi vapulandumst,* ***tute*** *corium sufferas* adnotat, *tute* pronomen, quod in illo versu teste Gepperto codex A praebeat [2]), sua sententia falsum esse: se non arbitrari, pronomine *tute* unquam aliud quidquam significari nisi *du selbst.* Atque Brixius [3]) versui Pl. Mil. 615 *Quis homo sit magis meus quám* ***tu*** *es? P. Lóquere lepide et cómmode* hanc notam adiungit, numerum prioris versus partis insolenter exilem et infirmum esse, quapropter Ritschelius *tute* pro *tu* scripserit, sed pronomen *tute* numquam eandem vim habere quam simplex *tu* e. q. s. Eodem loco textus Lorenzius aliquot annis ante [4]) *tute* posuerat nulla dubitatione. Sed idem vir doctus secundo anno post illam Brixii editionem e Pl. Pseud. v. 723 *C. Egone? P.* ***Tute.*** *C. Ego? P. Ipsus inquam, si quidem hoc vivet caput* (sic R. sec. BC), ubi appellata persona distinguitur et *tute* numero non obstat, suffixum *te* non modo propter codicis A diversam lectionem reiecit [5]), qua ratione se ipsum quoque *tute* et acutum *tu* distinguere demonstrat [6]). Atque etiam Vssingius eadem ut videtur sententia commotus ad Curc. [7]) v. 369 ***Tú*** *tabellas cónsignato, hic mihi ministrabit, égo edam* (sic Vss.), ubi ut supra personae distinguuntur et numerus *tute* tolerat, de discrepantiis manuscriptorum sic iudicat '*Tu* recte B'.

Ex his efficitur, de pronominis *tute* propria significatione virorum doctorum sententias perlonge inter se distare. Sed ut Ritschelius nemo eorum quos commemoravi suam sententiam explicatius probavit. Neque ad hunc Trinummi versum, ubi sibi constans pronomen *tute* recusavit, Muellerus uberiora adiunxit.

---

[1]) Prosod. Plaut. (ed. Berol. a. 1869) p. 27.

[2]) G.-L. sane talem versum in A legerunt: *Vt enim ubi mihi vapulandum sit,* ***tu*** *corium sufferas.*

[3]) ed. Lips. a. 1875 append. crit. p. 142.

[4]) ed. Mil. Berol. a. 1876.

[5]) ib. adnot. crit. p. 272 '*Tu ne* Fleckeisen für *Tute,* was auch sicher falsch ist, wie schon die noch nicht entzifferte von BCD abweichende Lesung des A zeigt'.

[6]) Quid Lorenzius arbitretur, ubi Pseud. v. 1089 (R.) *Meministin* ***tute*** *tibi me dudum dicere* pronomen *tute*, quod Ritschelius ipse numero tamen non inepte interposuit, 'ganz unpassend' significat (adnot. crit. p. 280), non liquet.

[7]) Plaut. com. ed. Haun. vol. II a. 1878 Curcul. comment. p. 555.

Mihi quidem, qui hunc dubium locum propius spectandum proposuerim, hanc quaestionem non licet praetermittere. Eadem vero eo minus inutilis apparet, si cogitatur, quam saepe apud Plautum occasio redeat compositi *tute* pro simplici *tu* hiatus delendi causa asciscendi neque haec commutandi ratio viris criticis displicuit. Velut Spengelius, qui nequaquam acerrima severitate in hiatus invehitur, in libro illo qui inscribitur 'T. Maccius Plautus' e. q. s. p. 227 quinque versus Plautinos exponit, quorum hiatus non in principali caesura exstantes pronomine *tute* pro *tu* adhibito aut delet aut deleri posse saltem non negat. Quales mutationes ibi eis adnumerat, quas 'keine gewaltsamen Herstellungen' appellat. Altera ex parta Muellero sententiam illam non probanti vel placuit suffixum *te* illo Poenuli loco quem supra attuli seorsum, ut ei videbatur, ab optimi codicis (A) testimonio repudiandum. Sequar autem eam disputandi rationem, ut quaeram, num in exemplis vocis *tute* omnibus vis *du selbst* ([*tu*] *ipse*) deprehendatur, quippe qua quaestione simul de ceteris quae eidem pronomini vindicantur significationibus iudicetur, cum illa, ut propius postea videbimus, ita personarum distinctionem amplectatur, ut putare abundanter vocem *tute* poni non liceat.

In hac vero disceptatione praetermittam eos locos, qui nihil valeant ad summam eius confirmandam aut improbandam, eos inquam, quibus editores *tute* aut nulla aut dubia librorum scriptorum fide posuerint [1]) atque eos, quibus qui traditur conexus propriae illius significationi plane dignoscendae non sufficiat [2]). Quibuscum separo etiam duos locos, quibus com-

---

[1]) Libri scr. omittunt *tute* Plaut. Men. 379. Most. 320. Pseud. 1089. Rud. 1347. — Most. 1144 (*hanc tute ad* R. *hanc .... ad* cum lacuna B *hanc ad* C), tradunt pro *tute*: *tu* Cas. II, 3, 48. Most. 551. Pseud. 490. — Pseud. 723 (*tu* A *tute* BC), *tu te* Trin. 977 (*Proin* **tute** *itidem ut charmidatu's, rursum te decharmida : tute — te* R. *tu te* — mss.) Cum aliqua dubitatione *tute* restituitur Mil. 615 (*tute es* R. *uis* B *us* C) Truc. 793 (*tute scapulis* Sch. *mutẽ capulis* B *ut est capulis* C). Most. 512 (*tute tecum* R. *te tu cum* BC, nisi quod *tucum* C, *tu tecum* B corr.) Pers. 30 (*Si tute tibi* R. *Sit ut tibi* C. *Sicut et tibi* B). Stich. 708 (*tute tibi* BC *tibi te* A).

[2]) Sunt hi loci: Pl. Epid. 144 sq. *nam ni ante solem occasum elo* **** || *Meam domum ne inbitas.* ***tute*** *in pristinum* ***** (desunt quaedam). Fragm. Afran. 69 sq. *nudiustertius* || ***Tute*** *advenisti?* ∾ .. *quam diluculo*, quorum verborum distributio et interpunctio Ribbeckii est.

positum *tute* sententia incertum reddit: qui loci clarius illustrandi videntur. Prior quidem invenitur Plaut. Capt. 401 sq. Philocrates et qui antea eius fuerat servus Tyndarus, qui bello capti Hegionis servi facti sunt, clandestino consilio vestes et nomina inter se commutaverunt. Et Philocrates Hegione concedente ad suum patrem quasi ad patrem illius cum mandatis rediturus illum interrogat *Numquid aliut vis patri || Nuntiari?* Continuantur verba haec

> *T. Me hic valere et* **tute** *audacter dicito,*
> *Tyndare, inter nos fuisse ingenio hau discordabili*
> *Neque te commeruisse culpam* e. q. s.

(Verba *Me — inter* Fleck. ut interpolationem uncis inclusit) [1]). Quorum versuum primum, qualem quidem ex codicibus sumpserim, vix aliter interpretabimur atque ita ut verba *Me hic valere* pendeant a verbis ex antecedente Philocratis interrogatione supplendis *Nuntiari volo*, deinde ab eis, quae coniunctionem *et* sequantur *tute audacter dicito*, quae subiungantur constructiones obliquae infinitivorum (*inter nos fuisse* cett.) pendeant [2]). Sed offenditur, si spectatur amplior conexus. Nam mandatum prioribus illis verbis expressum eisdem fere verbis ille iam v. 391 dedit: *Me hic valere et servitutem servire huic homini optimo* e. q. s. (sc. *dicito*), quae repeti post recentem adhortationem v. 400 sq. *Numquid aliut vis patri nuntiari?* non probabile videtur. Quae offensio exstincta videtur, si *tute* in duo pronomina dissolvimus: *et* **tu te** (sc. *hic valere*) *audacter dicito* [3]). Nam si hoc loco 'Tyndarus' iterum de ero suo ac simul de se ipso domum renuntiare iubetur, intellegemus, 'Philocratem' illa verba sua eo consilio repetere, quo disertius

[1]) cf. Brixii ed. Capt. III (Lips. a. 1876) ad v. 398 sq. et ad eund. append. crit. p. 94.

[2]) Madvigius, qui in illa interpretatione acquiescebat (vid. 'Adversaria Critica' vol. II (Emendationes Latinae) Haun. a. 1873 p. 6) sic interpunxit *Me hic valere, et.*

[3]) Pronomina *tu* et *te* inter se continuare nequaquam dubitabatur, quod docent multa exempla. Cf. Aul. 549 *Quid* **tu te** *solus e senatu sevocas?* Capt. 460 *Sequere* **tu** *:* **te** *ut amittam* e. q. s. Most. 168 *Quid* **tu te** *exornas, moribus lepidis quom lepida tute's?* Men. 912. Pseud. 350. Truc. 141. 413. Ter. Ht. 919 all.

ipsorum utriusque condicionem aequam exhibeat. Eademque repetitione distinctius orationis progressus notatur, nam adhuc de uno se ille locutus est, dehinc de ipsis ambobus loquitur. Neque inepta sunt quae supplentur *hic valere*, quia servitus absenti illi minime finita est, sed in quoddam tempus tantummodo interrupta. Sed, utut de hac interpretatione iudicatur, certe compositi *tute* exemplum adeo dubium est, ut iure secludi videatur. — Alter locus est Ter. Ph. 425 sq. Demipho senex iratus (adstante in occulto Geta servo) de filio suo loquitur, respondet contumaciter Phormio parasitus

> *D. Aut quidem cum uxore hac ipsum prohibebo domo.*
> *G. Iratus est. Ph.* **Tute** *idem melius feceris.*

(*Tute* mss. *Tu te* Vmpf.) Deinde dicit Demipho v. 427 sq. *Itane es paratus facere me advorsum omnia, || Infelix?* Quo tenore vix dubium est, quin Phormio verbis suis id exprimat, quod 'quosdam' Donatus intellegere adnotat, 'ut senex potius exeat quam eiciat filium'. Neque aliud intellegere Eugraphius videtur, cum interpretatur 'Hoc ipsum tu recte feceris'. Nam ubi verba *idem facere* ad sententiam (*domo*) *filium prohibere* spectant, nihil aliud significant nisi *ipsum quoque* (*domo*) *filium prohibere*, ut una cum antecedente praedicato idem obiectum intellegatur. At Phormio cum dicit *tute idem melius feceris*, exprimere vult *tute melius domo* **te** *prohibessis*, ut novum obiectum (*te*) supplendum sit. Quod videtur durius neque probabiliter retinetur, si pronomine *tute* in *tu te* dissecto, quod librarium perfacile effugere poterat, haec fit aptior forma sententiae ***Tu te*** *idem melius feceris* h. e. *Actionem domo prohibendi melius* **tibi** *adhibueris* *), qua ratione quod desideratur obiectum restituitur atque *idem facere* dumtaxat pro praedicato (*domo*) *prohibere* substituitur. Certe hoc quoque loco compositum *tute* infirmum est iureque praetermittitur.

Venio iam ad vocis *tute* certa exempla. In quorum primis eos pono locos, quibus cum pronomine illo in eodem enuntiato coniunctum *ipse* (*ipsus*) traditur, velut Pl. Capt. 581

*) Cum illius ablativi (*te*) usu cf. Mil. 973 *Quid* **illa** *faciemus* **concubina?** Most. 346 *Quid ego* **hoc** (sc. *Callidamate*) *faciam postea, mea?* Truc. 799 *Quid* **eo** *fecisti* **puero?** — Mil. 299 *Quid fuat* **me** *nescio.* — cf. Lorenz. ad Most. (ed. Berol. a. 1866) v. 213. Brix. ad Capt. (ed. III) v. 157.

Quia ***tute ipse*** *eges in patria nec tibi qui vivas domist,*
Omnis inveniri similis tui vis.

Cuiusmodi locis de significatione *du selbst* nihil exploratur. Nam quia haec pronomine *ipse* ad secundam verbi finiti personam apposito satis indicatur, incertum est an vim *tute* habeat simplicis *tu*, quod illi non raro adiungitur*). Sed propter eandem ambiguitatem haec exempla nihil valent ad illam vim improbandam, sed ubi certius probatum erit, ipsa potius illustrabuntur. Cetera sunt Curc. 254 ***Tute ipse*** *si quid somniasti, ad me refers.* Merc. 481 ***Tute*** *heri* ***ipsus*** *mihi narrasti.* Ter. Andr. 151 ***Tute ipse*** *his rebus finem praescripsisti, pater.* 751 sq. *D. Concedas: ad dexteram* || *M. Deliras: non* ***tute ipse?*** (sc. *concedis*). Eun. 893 *In cognoscendis* ***tute ipse*** *aderis.* Addo fr. Enn. praetext. 2 *Bene mones,* ***tute ipse*** *cunctas cauto.*

Existit nunc quaestio, quo indicio significatio *du selbst* cognoscatur. Quod ut inveniamus contemplandum propono exemplum, in quo haec vis manifesta est, Mil. 1117, ubi Pyrgopolinici respondet Palaestrio, qui ab illo ad concubinam eius mandatum accepit:

Quid potiust quam ut ***tute*** *adeas, tuam rem* ***tute*** *agas?*

(*quam ut tute adeas* R. *quă tu sed ē* B. *cum tute ades* C.). Plane intellegitur, duo illa subiecta *tute* sententia acui h. e. personam pronomine *tute* bis significatam ab altera vel, cum unum Palaestrionem contrapositum cogitari nequaquam necesse sit, quodam modo ab aliis quibuscumque distingui, qui ad concubinam adeant et militis rem agant, quae distinctio verbosius sic exprimi poterat: *quam ut tute adeas, non alius* (*adeat*), *tuam rem tute agas, non alius* (*agat*). In usu igitur pronominis *tute* longius persequendo ad perspiciendam vim *du selbst* prius opus erit videre, num appellata persona sententiae tenore insigniatur. Quod ut quoque eorum quos infra percensebimus locorum liqueat, tantum ipsius textus aut interpretationis adscribam, quantum ad distinctionem appellatae per-

---

*) Exempla haec laudo Asin. 502 sq. *Atque etiam* ***tu*** *quoque* ***ipse*** (cett.) *scio pol crederes nunc quod fers.* Mil. 844 *ut* ***tu ipse*** *me dixisse delices.* Most. 634 ***Tu ipsus*** *dic modo.* Rud. 730 *Ita ego te hinc ornatum amittam,* ***tu ipsus*** *ut te non noveris.*

sonae illustrandam satis videbitur. — At hoc est insigne pronominis quoque, quod sententia acuatur, *tu*: deest illius significationis proprium. Proprietas autem huius exempli ea est, quod Pyrgopolinices monetur, ne, quod suum sit, facere alios iubeat suo loco, ut illa explicatio, quam illustrandae simplici personarum distinctioni adhibuimus, sic amplificanda sit: *quam ut tute adeas, non alius tuo loco* (*adeat*), *tuam rem tute agas, non alius tuo loco* (*agat*). Ita nimirum distingui non potuit, nisi, quod Palaestrio facere iubetur, per ipsum Pyrgopolinicem fieri potuit. Habemus igitur hanc universam interpretationem, significatione *du selbst* exprimi, ea, quae de appellata persona praedicentur, quamquam per alium fieri possint, nonnisi per unam eandemque appellatam fieri. Iam videbimus, num haec in cetera omnia pronominis *tute* exempla conveniat.

Illius quidem primi exempli etiam id proprium est, quod verbis praedicatis *adire* et *agere* actiones corporis exprimuntur. Quibus ad distinctum subiectum *tute* relatis significatur, ut appellatus Pyrgopolinices actiones adeundi et agendi non alium efficere iubeat, sed efficiat suo corpore. Cuiusmodi actiones iussu aut permissu non ad alium transferri posito *tute* saepissime negatur. Idemque valet ad corporis statum velut Curc. 9

Tute tibi *puer es: lautus luces cereum,*

ubi per negationem interpretari licet: *Non alium tuo loco tibi puerum esse iubes.* Si vero enuntiata ***Tute tibi*** *puer es* et (*quam ut*) ***tuam*** *rem* ***tute*** *agas* prius seorsum spectamus, deinde cum illo tertio *quam ut tute adeas* conferimus, ea quae in duobus illis de appellata persona praedicantur eo disertius ad eandem relata apparent, quod additis pronominibus *tibi* et *tuam*, quibus eadem persona quae subiecto significetur, mutua relatio planius notatur. Propterea haec exempla primum colligo: Amph. 816 ***Tute*** *edictas facta* ***tua****: ex me quaeris, quid deliqueris.* Cist. II, 3, 19 sqq. ubi meretrix appellatur *Vnde tibi talenta magna viginti pater* || *Det dotis. Non enim hic, ubi ex Tusco modo* || ***Tute tibi*** *indigne dotem quaeras corpore.* Pseud. 20 sq. Calidoro, qui Pseudolum sic hortatus est *Fac me certum, quid tibist* (v. 18), hic respondet *Cape has tabellas:* ***tute*** *hinc narrato* ***tibi,*** || *Quae me miseria et cura contabefacit.* Truc. 843 *Nam haud mansisti, dum ego darem illam:* ***tute*** *sumpsisti* ***tibi.***

Ceteri loci, quibus intellegatur, appellatam personam efficiendam corporis actionem aut patiendum corporis statum non ad alium transferre, quamvis possit, hi sunt: Mil. 302. Sceledrus ad Palaestrionem, cui se persuadere non posse cognoscit, Philocomasium in proxima aede esse *Vise, abi intro* **tute**: *nam ego iam mihi nil credi postulo.* Ib. 1219. Acroteleutium ad Milphidippam, quae quod militem Pyrgopolinicem convenerit magnam esse fortunam simulat: *Obsecro,* **tute** *ipsum convenisti?* Trin. 385 sq. Philto Lysiteli filio permisit, ut amici sui sororem nuptum poscat. *L. Sed ad istam adde gratiam unum. Ph. Quid id est autem unum? L. Eloquar.* // **Tute** *ad eum adeas ut concilies,* **tute** *poscas.* (*tute* ante *concilies* libri cum A, non diversa interpretatione). — Amph. 747 *Amph. Egone istuc dixi? Alc.* **Tute** *istic, etiam adstante hoc Sosia.* Cas. III, 4, 9 sq. Stalino aegre fert, quod Alcesimus uxorem non domum suam traduxerit. *Alc. Quin tu suspendis te? nempe* **tute** *dixeras,* // *Tuam arcessituram esse uxorem meam.* Pseud. 985 sqq. *B. Quem misisse ad me autumas?* // *S. Nosce imaginem:* **tute** *eius nomen memorato mihi,* // *ut sciam te Ballionem esse ipsum.* Ter. Phorm. 913 sq. Demipho opprobria enumerat, quibus Chremes se dehortatus sit, ne Phormioni, quocum loquitur, uxorem daret: *ferme eadem omnia,* // *Quae* **tute** *dudum coram me incusaveras.* Hec. 317 **Tute** *loqueris, me vetas.* ib. 786 *Quaeso edepol, Bacchis, quod mihi es pollicita* **tute**, *ut serves.* Ad. 798 sq. *Sed quaeso, ut una mecum ad matrem virginis eas, Micio,* // *Atque istaec eadem quae mihi dixti* **tute** *dicas mulieri.* Eodem spectat Ter. Phorm. 279 sqq. *An quisquam iudex est, qui possit noscere* // *Tua iusta, ubi* **tute** *verbum non respondeas,* // *Ita ut ille fecit?* ubi, quia *respondeas* negatur, distinctio haec est *ubi aliis loqui permittas.* Atque etiam adde Aul. 298 *A. Ain tandem? St. Itast ut dixi.* **tute** *existima* (sequuntur argumenta): nam iudicium voce pronuntiandum intellegi potest, ut tamquam dicatur *Ne alium tuo loco iudicium facere iubeas.* — Pseud. 885 sq. *Quaeso hercle, priusquam quicquam conviviis dabis* // *Gustato* **tute** *prius et discipulis dato* e. q. s. — Asin. 515 *Ph. Et meam partem loquendi et tuam trado tibi,* // *Ad loquendum atque ad tacendum* **tute** *habeas portisculum.* Bacch. 263 sq. Chrysalus refert ad senem Nicobulum, quam caute eius filius apud Archidemidem egerit, ut sibi quam deberet pecuniam redderet: *Eo praesente* (sc. *advocato quodam Pelagone*) *homini extemplo ostendit symbolum,* // *Quem* **tute** *dederas ad eum ut ferret filio.* Cas. II, 6, 41 sqq. Stalino senex et uxor Cleostrata, quorum ille Casinam ancillam se vilico Olympioni nuptum dare velle simulat, haec eandem Chalino servo dare cupit, de sortiendo, quo res diiudicetur, colloquuntur. *St. Nunc tu, Cleostrata,* // *Ne a me memores malitiose de hac re factum, aut suspices,* // *Tibi permitto:* **tute** *sorti* (h. e. *ne mihi sortiri permittas*) Ep. 131 sq. Epidicus maximo cum periculo suo erili filio amicam paravit: *empta ancillast, quod* **tute** *ad me litteras* // *Missiculabas*).* Men. 688 sq. *Nec te ultro oravi ut dares:* **Tute** *ultro ad me detulisti.* Trin. 124 sq. *Emistin de adulescente hasce aedis? quid taces?* // *Vbi nunc* **tute** *habitas.* ib. 569 sq. *De dote mecum conveniri nil potis:* // *Quod tibi lubet,* **tute** *agito cum gnato meo.* Ter. Andr. 680 *Vel melius* **tute** *reperi, me missum face.* ib. 726 sq. *D. Ex ara hinc sume verbenas tibi* // *Atque eas supsterne. M. Quamobrem id* **tute** *non facis?* (h. e. *Q. id me tuo loco facere iubes?*) Ht. 65 sq. *Servi complures* (sc. *tibi sunt*): *proinde quasi nemo siet,* // *Ita attente* **tute** *illorum officia fungere.* Ad. 290. Canthara obstetrix ad Sostratam mulierem, quae quod illa abit aegre fert: *Iam nunc times, quasi numquam adfueris, numquam* **tute** *pepereris.*

Eiusdem generis unum exemplum in manuscriptis est, ubi praedicato actio animi exprimitur. Ter. Hec. 601 sqq. Sostrata, quae Pamphilum filium suspicari putat, ob ipsius mores uxorem a se abscessisse, maesto huic, ut copiam illius reducendae faciat, promittit, se cum patre rus abituram esse. Quae clementia illum commovet, non consolatur.

> *P. Quam fortunatus ceteris sum rebus, absque una hac foret,*
> *Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem!*
> *S. Obsecro, mi Pamphile,*
> *Non* **tute** *incommodam rem, ut quaeque est, in animum induces pati?*

(*tute* mss. *tu te* Vmpf.) Actionem *in animum inducendi* sane nemo efficiendam ad alium transferre potest. Sed id ipsum illa interrogatione quodammodo affirmatur. Dixerat Pamphilus omnia

*) Cf. ib. 59 sq., qui versus eandem rem tangunt, *Quia cottidie* **ipse** *ad me ab legione epistula* // *Mittebat.*

2*

sibi opportuna esse praeter unam rem. Hanc Sostrata illius sollicitudinis intellegit esse causam itaque monet tamquam haec: *Quod unum fortunae tuae deesse ais, a quonam alio exspectas? Tibi ipsi agendum est. Non (tu) ipse incommodam rem ... in animum induces pati?*

Ad haec exempla separatim addo Bacch. 563 sqq.

Qui? tibi non meretricum aliarum erat Athenis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa quam ego mandassem tibi
*Occiperes **tute** amare et mi ires consultum male?*

(*tute* mss. *tute ipse* R.) Ipsam actionem animi, quae in verbo *amare* deprehenditur, fieri non potest ut quisquam ad alium iussu aut permissu transferat. Sed eodem verbo actio amicae etiam utendae hoc loco significatur. Itaque nulla difficultate sic interpretabimur: *nisi usum illius: quam ego mandassem tibi, non permitteres mihi, sed occiperes (tu) ipse uti?*

Talis autem translationis negatio iam non apta videtur Poen. IV, 2, 33 [1]). Colloquuntur inter se duo servi, quorum eum, qui domini sui iussu domum properat, alter remorari conatur. Cui ille iocosam hanc condicionem fert, qua manere velit:

*Vt enim, ubi mihi vapulandum sit, **tute** corium sufferas*

Inepte, inquam, hanc distinctionem cogitabimus: *Vt enim — non alius tuo loco corium sufferat.* Quem enim cogitet ille, quem innocentem appellatus servus suo loco iubere verberandum se praebere possit? At significationem (*tu*) *ipse* tamen aptam intellegemus ea adhibita interpretatione, qua, qui appelletur, moneatur, ut, ubi alteri vapulandum sit, ultro h. e. non alius demum hortatu, suo impulsu verberandum se exhibeat. Haec explicatio ab illa pronominis *tute* (= *tu ipse*) universa non abscedit: nam hac quoque significatur, praedicatum non per aliam atque per subiectam personam fieri, quamvis possit, sed non iam exprimitur, praedicatum fieri alius corpore, sed non alius auctoritate. Huc incertum est num revocemus [2]) Men. 688 sq.

[1]) cf. p. 12 (ibid. etiam adnot.).
[2]) de p. 19.

*Nec te ultro oravi ut dares: || **Tute ultro** ad me detulisti.* Nam quamvis apta sit ad hanc sententiam interpretatio *non alio auctore*, tamen idem exprimitur ipso adverbio *ultro*, ut dubium sit, num idem vox *tute* significet. Luculenter vero appellatae personae auctoritas distinguitur, ubi status corporis praedicatur, et illud quidem a rebus, non a personis, locis his: Most. 168

*Quid tu te exornas, moribus lepidis quom lepida **tute**'s.*

h. e. *Quid tu lepida vis esse alia re, quom per te, alia re non adhibita, lepida es* sc. *lepidis moribus.* It ib. 251 *Quid opust speculo tibi, quom **tute** speculo's specimen maximum?* Ter. Eu. 426 *Lepus **tute** es: pulpamentum quaeris?* Idem proverbium fr. Liv. 8.

Eademque distinctio, nisi quod effectus aliarum personarum negatur, praesertim in eis pronominis *tute* exemplis exstat, in quibus verbo praedicato actio vel status animi significetur, velut Aul. 686. Lyconides a matre compellatur

*Scis **tute**, facta velle me, quae tu velis.*

H. e. *Scis per te, non alio (velut me) auctore.* Item Capt. 856 *Quin ita faciam, ut **tute** cupias facere sumptum, etsi ego votem.* Pers. 187 *Equidem, si scis **tute**, quot hodie habeas digitos in manu, || Egon' dem pignus tecum?* Ter. Andr. 500 *S. Mihin quisquam?* (sc. *hoc nuntiaverit*) *D. Eho an **tute** intellexti hoc adsimulari?* Eun. 127 sq. ***Tute** scis postilla quam intimum || Habeam te et mea consilia ut tibi credam omnia.* Cf. fr. Naev. trag. 36 *Ignotae iteris sumus: **tute** scis ....*, quod enuntiatum fortasse abruptum est. Eodem denique refero Ter. Ht. 374. Syrus Clitiphonem modo scrupulosissime certiorem fecit, quam difficilem rem gereret. *Cl. Laudabis. S. Vide sis. Cl. **Tutimet** mirabere.* (*Tutemet* mss.) Qua gravi affirmatione Clitipho quasi dicit, impulsore admirationis illi certe non opus fore, ubi, quod imperavisset, perfecerit.

Sequuntur loci, quibus subtilior illa quae significatione *du selbst* efficitur distinctio haud tam exhibet aliarum personarum secretionem quam eius quae appellatur illustriorem descriptionem. Quale exemplum est Mil. 290. Palaestrioni narravit Sceledrus, se Philocomasium cum adulescente ausculantem aspexisse, cum in proximae aedis impluvium despexisset. Ille vero simulans se dubitare exclamat *Quod ego, Sceledre, scelus ex te audio?*

*Sc. Pol profecto vidi. P. **Tutin?** Sc. Egomet, his oculis meis.*

Hoc loco ut Sceledrus ad personae suae notam *Egomet* (suppl. *vidi*) apponit *his oculis meis*, quamquam consentaneum est, non alienis oculis eum vidisse, et illud quidem, ut accuratiore ipsius descriptione eis, quae de se praedicaverit, maiorem fidem faciat, itidem in interrogatione *Tutin?*, si *Tun ipse?* intellegimus, quasi idem deprehendimus: *Tun tuis oculis?*, qua dicendi ubertate vehementia admirationis et dubitationis augetur. Hac distinctione Palaestrio sane suspicionem exprimere non potest, ne Sceledrus suo loco actionem videndi efficere alium iusserit, quod insanum est, sed ne ab alio visa compererit. Tali igitur *tute* convenienter universae significationis *du selbst* explicationi exprimitur, appellatam personam effectum actionis praedicatae non per alium excipere, quamvis possit. Haec fere interpretatio ac primum quidem, ubi ut supra pro *tute* fere substitu potest *tuis oculis*, accommodatur ad hos locos: Poen. 709 sq. *qui furem captas, egredere ocius, || Vt* **tute** *inspectes aurum lenoni darei.* Trin. 1179 sq. *Lesb. Tun vidisti? Lys. Et* **tute** *idem videas licet.* — *tuis auribus:* Ter. Andr. 578 *Num censes faceret, filium nisi sciret eadem haec velle? ||* **Tute** *adeo iam eius verba audies.* Hec. 784 sq. *Quid mihi istaec narras? an quia non* **tute** *dudum audisti, || De hac re animus meus ut sit, Laches?* — *tuo ore:* Mil. 660 sq. Pleusicles adulescens vehementissime senis Periplecomeni venustos mores miratus est. *Cedo tris mi homines aurichalco contra cum istis moribus.* Respondet ille cum gravitate **Tute** *me ut fateare faciam esse adulescentem moribus.* Huc addi possunt vel complura eorum exemplorum, quae dudum tractavi, in quibus praedicatum verbum audiendi est. — *tua manu*: Amph. 745 sq. *Quippe qui ex te audivi, ut urbem maximam || Expugnavisses regemque Pterelam* **tute** *occideris?* *). Bacch. 1197 *Tuust: unde illum sumere censes, nisi quod* **tute** *illi dederis?* Ter. Ph. 318 **Tute** *hoc intristi: tibi omne est exedendum.*

Aliis locis vis (*tu*) *ipse* eo probatur, quod id, quod appellata persona aperte vel occulte sibi denegavit aut denegare videtur

*) Cf. ib. v. 415, ubi Mercurius eandem rem gestam Sosiae narrat *Et* ***ipsus*** *Amphitrus obtruncavit regem Pterelam in proelio* ac praecipue v. 252, ubi Sosia ad spectatores gloriose refert ***Ipsus****que Amphitruo regem Pterelam suapte* (sic Gz.-L. *sua* mss.) *obtruncavit manu*, quo loco *ipsus* verbis *suapte manu* abundanter illustratur.

aut debebat, ad eandem refertur, cui rationi vim illam reflexivam peraptam esse in promptu est. Velut Amph. 795 sqq. Sosia Amphitruonem, qui uxorem suam pateram ab ipso ex bello allatam, priusquam illam convenerit, possidere summopere miratur seque decipere putat, simulationis ipsum arguit:

Me captas, quia **tute** *ab navi clanculum huc alia via*
Praecucurristi atque hinc pateram **tute** *exemisti atque eam*
Huic dedisti, postea rursus obsignasti clanculum.

Sosia non intellegit: *Non alius* (*ego*) *illud fecit, sed tu,* sed *Alium* (*me*) *insimulas fecisse, sed* (*tu*) *ipse fecisti.* — Bacch. 677 *Mn. Erras. Ch. At quidem* **tute** *errasti, quom parum immersti ampliter.* Capt. 589 (*T.*) *Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum. A. Quin* **tute** *is es.* Mil. 1154 sq. Cum cautior servus Palaestrio Pleusiclem adulescentem, qui ipsorum astutiae felicem eventum prope abesse dixit, monuerit, ne periculum summum esse obliviscatur, ubi fraus appropinquet ad finem, hic illum monet, quasi vires non sufficere existimet, eum ipsum boni eventus spem augere. *Domi esse ad eam rem video siluae satis: || Mulieres tres: quartus* **tute**'*s*, *quintus sum ego*, *sextust senex.* Porro adiungo eum Trinummi versum, qui in A (inepte) ante v. 427, in ceteris manuscriptis post eum traditur, a Ritschelio ut 'manifestum interpretamentum' omittitur. Stasimus illudit Lesbonicum, quod quam pecuniam quondam temere pro ignoto adulescente spopondisset, ei ipsi solvenda fuerit. *L. Nempe quas* (sc. *mille drachumas*) *spopondi. S. Immo 'quas despondi' inquito, || Qua sponsione pronuper* **tute** *exactus es || Pro illo adulescente, quem tu esse aibas divitem* (*tute* A, *tu* B C). Sequitur Ter. Eu. 369. Chaeream adulescentem, qui lepidam Thaidis meretricis ancillam, quam semel conspexit, adeo amare coepit, ut eunuchi cuiusdam, quem illo dono missum iri et illius ancillae conservum fore comperit, fortunae invideat, interrogat Parmeno *Quid si nunc* **tute** *fortunatus fias?* ib. 452 sq. Thraso miles laudat parasitum Gnathonem ob callidum consilium, quod sibi in mentem non venerit. Quam laudem defendit ille: *Ridiculum: non enim cogitaras: ceterum || Idem hoc* **tute** *melius quanto invenisses, Thraso!* fr. Caec. Stat. 95 sqq. *mihi sobrio || Dormitum ut eam quisquam suadet? et si ego dormivero, ||* **Tute** *idem ubi eris experrectus?* — Denique addo Trin. 119 sqq. Megaronides

senex, cuius fidei quidam adulescens mandatus est, insimulatur, quod officio defuerit. *Ei rei operam dare te fuerat aliquanto aequius, || Si qui probiorem facere posses, non uti || In eandem* ***tute*** *accederes infamiam.* Hoc exemplum per contrarium sic fere interpretaberis: *ut potius r e c u s a r e s eandem accedere infamiam.*

Ea vero compositi *tute* exempla, in quibus vis illa percipiatur, nondum absoluta sunt. Iam spectemus Men. 110 sq. Menaechmus domo egrediens uxorem intus alloquitur

> *Ni mala, ni stulta sies, ni indomita imposque animi,*
> *Quod viro odio videas esse,* ***tute tibi*** *odio habeas*

(*odio habeas* mss. *habeas item* R.). Qua in sententia quae exhibetur distinctio non pertinet ad enuntiatorum *Quod viro odio videas esse* et *tute tibi odio habeas* subiecta, quippe quae eadem sint (sc. *tu*), sed ad voces *viro: tibi.* Cui distinctioni *dir selbst* aptissimum esse conspicuum est. Nam vim reflexivam casui obliquo cuiuslibet pronominis personalis subiungere solemus, ubi effectus praedicati (*odio habeas*) ad subiectum (*tu*) referatur. Hoc quidem loco *ipsi* non exstat, at si pronomen *tute* idem est quod *tu ipse* nihil desideratur. Nam satis nota est illa relationum permutatio, qua pronomen *ipse* a casu pronominis obliquo quodammodo disiunctum ad subiectum accommodatur *), qua transpositione sententiae non nocetur. Cuiusmodi cetera exempla sunt: Mil. 282 sq. Palaestrio recusat, ne facinus impudicum audiat, quod Sceledrus ei narrare se parat. ***Tute*** *sci soli* ***tibi:*** *|| Mihi ne dixis: scire nolo.* Pers. 572 sq. Toxilus Dordalo lenoni suadet, ut aedes suas quantum possit ferro muniat, quo futuros quos virgo quaedam si empsisset allexerit amicos arceat *ne, si ferro parseris, || Ferreas* ***tibi tute*** *inpingi videas crassas conpedis* (*tibi tute* R. *tute tibi* mss.). Ter. Ad. 688 sq. Aeschinum adulescentem, qui civitatis lege neglecta liberam virginem vitiavit, Micio senex obiurgat, quod ad id tempus indiligens amori tantum studuerit: *at postquam id evenit,*

*) Ex ead. fab. cf. 309 *Insanit hic quidem, qui* **ipse** *male dicit* **sibi** (= *ipsi sibi*), 315. 643. Cf. etiam Trin. 108 sqq. *Nam postquam hic eius rem confregit filius || Videtque* **ipse** *ad pauperiem prostratum esse* **se** *| Suamque filiam esse adultam virginem* e. q. s. ib. 322. *Qui* **ipsus sibi** *satis placet* e. q. s. ib. 323. Bacch. 417.

cedo || Numquid circumspexti? aut numquid ***tute*** *prospexti* ***tibi?*** Cf. Capt. 371 sq. ***Tute tibi*** *tuopte ingenio prodes plurimum, || Quom servitutem fers ita ut ferri decet.* Neque quidquam mutatur, ubi cum casu obliquo eiusdem pronominis praepositio coniungitur, sive haec eum antecedit sive sequitur. Adhaerens sequitur *cum* Epid. 651 *Quod bonist, id tacitus taceas* ***tute tecum*** (h. e. [*tu*] *tecum ipso*) *et gaudeas.* Mil. 195 sq. *Set quid est, Palaestrio, || Quod volutas* ***tute tecum*** *in corde?* ib. 422 (*Sc.*) *Tecum loquor. P. Immo edepol* ***tute tecum.*** Ter. Ht. 200 *Quid* ***tute tecum*** (sc. *loquere*)? Eu. 64 *Et quod nunc* ***tute tecum*** *iratus cogitas* e. q. s. Casui obliquo praepositio praemittitur Mil. 229 sq. ***Tute*** *unus si hoc recipere ad te dicis, confidentiast, || Nos inimicos profligere posse* (*Tute* R. *Tude* mss.). Trin. 663 ***Tute pone te*** *latebis facile ne inveniat te honor.* Atque eodem denique pertinet, ubi casus obliquus est pronominis eiusdem personae possessivi, Bacch. 637 sq. *Nunc agitas sat* ***tute tuarum*** *rerum* (h. e. *tuarum i p s i u s rerum*): *ego ut opem te mihi || Ferre putem posse inopem* (sec. mss.).

Haec sunt omnia pronominis *tute* certa exempla quae inveni. De quibus quae exposui ita in pauca conferantur, ut dicam, in eorum nullo significationem *du selbst* probabiliter negari. Quorum exemplorum multitudo cum satis magna et varia sit, dubitare licet an illa significatio pronominis compositi *tute* propria et genuina sit, qua negatur, hoc aut pro pronomine *tu* abundanter posito aut pro eodem personarum simplici contrapositione acuto usurpari. Igitur dubium illud, ubi *tute* cum vocibus *ipse* [1]) vel *ultro* [2]) coniungitur, evanescit, ut etiam eis locis vis *du selbst* subesse videatur, quamvis abundet. — Quibus absolutis respiciendum videtur ad id ex quo exiimus exemplum. Sed etiam prius quaeramus, nonne quod de suffixo *te* conclusimus magis confirmare possimus, cum illius pronominis accusativum et ablativum *tete* spectamus. Nam hos quoque, quippe qui cum eodem suffixo compositi videantur [3]) vim reflexivam

[1]) cf. sup. p. 15 sq.

[2]) cf. sup. p. 20 sq.

[3]) 'Videantur' inquam. Nam probabile videtur, pronomen *tute* ex *tutu* altero pronomine attenuato ut *tete* ex geminato accusativo vel ablativo *te* exortum esse (cf. *meme* [Priscian. XII, p. 592, 6 H.], *sese*), ut suffixum *te* non semper idem sit. Qua ratione ita personarum illa distinctio pronomine con-

exhibere suspicabimur. Ritschelius ipse exilitatem horum pronominum negat, at non plane distinguit vim dumtaxat distinctivam et reflexivam, cum Nov. Exc. Plaut.[1]) p. 29 adnotat, formam *tete* efficere 'eine sehr fühlbare begriffliche [?] Verstärkung' — ib. p. 52: 'die fühlbarste Verstärkung' — simplicis *te*. Contrarium videtur Bentleius putasse, qui Cas. I, 49 *Sine amabo* **te** *amari, meus festus dies*, ubi *te* omni intentione caret, non dubitaret *tete* scribere[2]), quod rursus Ritschelius improbat[3]).

Quae huc pertinent exempla, si incerta secluduntur[4]), pauca sunt. Accusativus *tete* traditur Ep. 96 sq. Epidicus secum ipse loquitur

Nequam homo's Epidice!
Qui lubidost male loqui? quia tu **tete** *deseris.*

(*tu tete* B. *tute te ipse* Gz.) Intellegitur, praedicatum *deseris*, quamquam ad alium spectare possit, tamen ad ipsum Epidicum respicere. Cui rationi significatio *te ipsum* aptissima est. Sequitur Ter. Ph. 467

Alios tuam rem credidisti magis quam **tete** *animadversuros.*

(*tete* A *tete* D *te* [*te*] dubitationem significans Vmpf.) Hoc quoque loco in pronomen *tete*, quod subiectum est constructionis obliquae, vis *te ipsum* convenit. Etenim id quod appellata persona aliis permisisse visa est ut sibi alienum, ad eam ipsam refertur. Similiter interpretaberis Ad. 32 sq. *Vxor, si cesses, aut te amare cogitat* || *Aut* **tete** *amari aut potare atque animo obsequi.*

iunctim geminato exprimeretur, ut eodem seiunctim repetito fortissima demonstratio exprimitur Men. 653 sq. *M. Egon dedi? P. Tu* **tu** *istic, inquam.* (*Tu, tu* R.) *Vin afferri noctuam,* , *Quae tu tu* (*tutu?*) *usque dicat tibi* vel summa doloris acerbitas Catull. c. 101, 5 *Quandoquidem fortuna mihi* **te te** *abstulit ipsum.* Aliud formis pronominis *tu* monosyllabis suffixum nusquam certo traditur. (Merc. 134. *hercle temet* R. *ececte* B *ere te* C: de *tepte* vid. Ritschel. Nov. Excerc. Plaut. [ed. Lips. a. 1869] p. 28 sq.)

[1]) vid. not. sup.

[2]) ad Ter. Eun. III, 5, 12. Item fr. Bacch. v. 32 (*fortasse te amare suspicarier*) ad Ter. Hec. III, 1, 33, ubi tamen deficiente conexu nihil de pronominis *te* vi effici potest.

[3]) l. l. p. 36 adnot.

[4]) In codicibus pro *tete* traditur *te* fr. Att. 372. Dubie illud restituitur ib. 370 (*ut hinc cum patre* **tete** *una* Ribb. *ut hic comportet texum* mss.), fr. Pompon. 177 (*eis tete* Ribb. *et te* mss.). Incertum est, quia amplior conexus deest, fr. Att. 429 **tete** *esse huic noxae obnoxium.*

Denique uno loco exhibetur *tete* ablativus, Ep. 82. Epidicus in summo discrimine versans se ipse appellat

Nisi quid in **tete** *auxilist, absumptus es.*

Distinguit se ab aliis, a quibus auxilium frustra peteret, atque interpretatio *in te ipso* poscitur[1]).

Semper igitur pronomini alterius personae, si *te* suffigatur, eandem illam vim reflexivam subesse vidimus. Redeamus iam ad disceptationis nostrae caput, ad versum Trin. 606, quem cum Bothii illa quae videbatur speciosa mutatione repeto

Non credibile dices. St. At **tute** *edepol nullus creduas.*

Hoc loco sententiae simplex pronomen *tu* non acutum supra demonstravi satis esse nec tamen improbandum videri, pronomine intento appellatam personam ab aliis quae crediturae sint distingui. Nunc per eam quam modo absolvimus commentationem ponere licet, neutra ratione compositum *tute* posse substitui. Jam videamus, num significatio *tu ipse* apta sit, qua interpretaremur *At* **tu ipse** *edepol nullus creduas.* Apta non est. Hac enim ratione fieret distinctio, quam vix aliter interpretareris quam ut Callicles, quod ipse non credat, aliis credendum permittat. At Stasimi quid interest, alii praeter Calliclem credant necne? Neque talis distinctio perspicitur in versu sequente, quo Stasimus illam dehortationem tamquam illustrat: *St. Si hoc non credis, ego credidero C. Quid? St. Me nihili pendere.* Restat igitur, ut Bothii scripturam improbemus[2]).

Sed putaverit quispiam, litteram *a* post *tu* in codicibus traditam si non suffixi *te* at vestigium alius vocis esse, qua hiatus evanuerit. Atqui hoc responsum *tu nullus creduas* tam absolutum et dilucidum est, ut nihil desideretur. Quid autem, si de augenda vi affirmativa cogitemus? Ea igitur exempla si circumspicimus, in quibus *edepol* intra idem enuntiatum alias particulas affirmativas sequatur, non aliis illam postpositam invenimus nisi particulis *equidem* et *quidem*. Affir-

[1]) Ritschelius Nov. Exc. Pl. p. 29 adnot. ad ill. v. '(*tete*) hier mit bestimmtester logischer Hervorhebung des Pronominalbegriffs'.

[2]) Cf. Bacch. 476, ubi Lydo, qui Pistoclerum Bacchidem amare contendit, inter alia respondentur *ipsus neque amat* **nec tu creduas**.

mandi formula *equidem edepol* semel certo traditur, Pers. 546 ***Equidem edepol*** *liberalist, quisquis est* (mss. c. A, *Ea quidem edepol* R.). Qui locus si cum his similis compositionis *equidem ecastor* exemplis confertur: Amph. 698 ***Equidem ecastor*** *vigilo* e. q. s. ib. 730 ***Equidem ecastor*** *sana et salva sum.* Men. 658 sq. ***Equidem ecastor*** *tuam nec chlamydem do foras nec pallium* // *Cuiquam utendum*, efficitur neutram hanc formulam exhiberi nisi positam ante argumentum affirmandum, quod dubito an non fortuitum sit, cum exiliores formulae *quidem edepol* et *quidem ecastor* eadem constantia in media sententia exhibeantur. Et illa quidem saepius invenitur: Amph. 777 *Nam haec* ***quidem edepol*** *larvarum plenast.* As. 190. 543. 645. Cas. II, 6, 8. 31. V, 4, 31. Cist. II, 4, 87. Curc. 182. Ep. 648. Men. 383. 497. 665. 927. Mil. 659. Poen. 869. 977. 978. Rud. 557. 806. Truc. 207 *). *Quidem ecastor* exstat Cist. I, 1, 45 *Haec* ***quidem ecastor*** *cotidie viro nubit* e. q. s. Hinc si ad illum Trinummi locum respicimus, etiam priusquam de inserendo *quidem* (aut *equidem*) cogitetur, si quid in manuscriptis mutandum est, multo apparet probabilius, unam litteram *a* prave in textum irrepsisse quam longiorem vocem *quidem* (vel *equidem*) ita excidisse, ut una littera *a* relinqueretur.

Quid igitur? Cum hanc servamus formam versus

Nón credibile dices. ∾ *At* ***tu édepol nullus*** *créduas*,

tolerabimusne hiatum? Quae interrogatio mutata condicione nequaquam supervacanea est. Illud quidem tenendum est, quod supra monui, hiatum septenarii caesura ipsa excusari atque quod sententia tali hiatu quodammodo dissecetur ipsum satis causae non esse cur deleatur. Tamen altera ex parte a transpositione ***nullus*** *edepol*, qua versus fit *Nón credibile dices* ∾ *At tu* ***núllus*** *edepol créduas*, non omnis probabilitas videtur abiudicanda. Nam haec ratio duritiae evitandae adeo simplex est ut Plauto, si praetermiserit, quaedam neglegentia numeri obicienda videatur. Eademque transpositione distinctio sententiae accentuum magis accommodatur ad numerum, cum quae eius gravissima vox est, ***nullus***, sic simul fortiore ictu versus insigniatur. Poetam autem

*) Vocum *quidem* et *edepol* idem saltem ordo servatur Most. 1081 *Nam* ille ***quidem*** *haut* ***edepol*** *negat.*

hiatum, ubi etiam alia accedente utilitate evitare posset, neglexisse aut logicum accentum, ubi etiam evanescente hiatu posset, cum numeri accentu non consociasse, saltem dubitare licet. Itaque ex lectione tradita, etsi ob illas dumtaxat proprietates mutandam esse negetur, tamen non omne dubium evanescet, nisi demonstratur, Plautum collocandi paruisse necessitati. Quam necessitatem certe vox ***nullus*** non exhibet. Sed quid de particula affirmativa *edepol*, cuius natura ab illo vocabulo plane diversa est? Illa affert aliquid ad ipsam sententiam, haec exprimit enuntiati maiorem gravitatem propiusque accedit ad vim interiectionum. Atque si Ribbeckio [1]) hoc credere licet, quod videtur, composita particula *edepol* ipsam interiectionem (*e*) continet. Vt autem interiectiones non in quemlibet enuntiati locum inseruntur, sed quam maxime ex enuntiati structura excedere quasi intendunt, suspicari licebit, idem vel simile in collocatione particulae *edepol* deprehendi posse — suspicari, inquam, nam usus contemplatio facile tamen contrarium doceat. Sed cum aliter de hoc quem disceptamus loco certius iudicari non possit, necessarium est huic suspicioni subtiliorem de vocis *edepol* collocatione quaestionem subiungere. In illo quidem enuntiato id primum quaeritur, num iure cum Reizio Hermanno Ritschelio *edepol* e tertio loco in quartum reprimatur, sed nisi iudicio dubitationem admittere volumus, non satis erit explorare, num etiam in aliis exemplis *edepol* quarto enuntiati loco inveniatur, sed num qua ratio huic voci collocandae subsit. Nam lex tantum collocandi, quae ratione nititur, certam emendandi dat facultatem, ipsam autem rationem non intellegimus, nisi omnes collocationis formas contemplamur et inter se comparamus. Atque quo iudicium nostrum, qualecumque erit, magis stabiliatur, simul cum voce *edepol* voces *edi ecastor* tractabuntur, quarum collocatio, cum itidem ut illa cum vocula *e* compositae [2]) atque ipsae quoque e deorum invocationibus derivatae sint, non potest diversa esse [3]).

[1]) 'Beiträge zur Lehre von den lateinischen Partikeln' (ed. Lips. a. 1869) p. 26 sq.

[2]) vid. Ribb. l. l.

[3]) Frequenti usu sane illae particulae adeo detritae erant, ut deos invocari non iam sentiretur. Vel Mercurius in Amphitruone, ubi simulatione abiecta clam Iovem appellat, verba sua sic affirmat, v. 810 sq. ***Edepol*** *ne illis rebus te sciat operam dare*, // *Ego faxim ted Amphitruonem malis esse quam*

Iam circumspiciens, quae de harum particularum collocatione adhuc exposita sint, pauca et imperfecta invenio. Apud antiquos quidem grammaticos non disceptatur, apud recentiores aut neglegitur aut in transcursu tantummodo tangitur. E quorum numero affero Handium et Holtzium. Quorum prior, qui proprie et copiose de particulis latinis commentatus est [1]), collocationem vocis *edepol* omnino praetermisit [2]), de collocatione vero vocis *ecastor* nihil aliud habet quod dicat nisi haec: 'Enimvero in quacunque asseveratione ponitur *ecastor* sive in media sententia, sive ab initio. Etiam praemittitur exclamationis particula et coniungitur accusativus' [3]). Holtzius, qui syntaxim priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium perquisivit [4]), quamquam in tractandis particulis illum secutus est, ne tam pauca

Iovem. Attamen id servatur, ut illae non inter se neque cum aliis affirmandi vocibus e deorum invocatione repetitis coniungantur. Vno quidem loco, Rud. 489 sq. apud Fleckeisenum legitur ***Edepol*** *Libertas lepida's, quae numquam pedem Voluisti in navem mecum* ***hercle*** *una imponere*, ut in eodem enuntiato ***edepol*** et ***hercle*** appareant, sed codd. BC non *mecum hercle* sed *cum Hercule* produnt. Contra si vulgo Truc. I, 2, 19 (Sp.) tradebatur — unde hodie Schoellius (v. 109) abscessit — *Fit* ***pol*** *hoc et pars spectatorum scitis* ***pol*** *vos me haud mentiri: pol* post verbum alterius quod coniunctione *et* adnectitur enuntiati nulla offensione vel potius quadam elegantia augendae gravitatis causa repetitur iniuriaque Spengelius (vid. adnot. ad h. v.) ob eam quidem rem offendit. Illud vero, quod illis particulis ceterisque a deorum invocatione deductis commune est cum particulis affirmativis *enim* et *equidem*, id dico, quod eis vocem negativam *non* continuo sequi licet, eo tantum illustratur, quod vis exclamativa posteriore affirmativa non prorsus expulsa est. In voce quidem *enim* (h. e. *e-nam*) praeter vim affirmativam non inest, quod cum ceteris illis commune habeat, nisi elementum exclamativum, ut hac quoque re Ribbeckii explicatio probetur (vid. l. l.). Formulae igitur *non profecto*, *non certe*, *non vero* ss. nusquam inveniuntur nisi vocabulo ipsius argumenti enuntiationis interposito velut Mil. 210 *Apage, non* ***placet*** *profecto* mihi illaec *aedificatio*. At exempli gratia *Non edepol* As. 395. Cist. II, 1, 34. Curc. 537. Ep. 461. Merc. 496. Pers. 668. Pseud. 342. Truc. 365. Ter. Hec. 160. 520. 568. *Non ecastor* Cas. III, 2, 8. Cist. IV, 1, 16. Stich. 361. *Non enim* Ep. 162. Mil. 828. Poen. 286. Rud. 922. Stich. 302. Trim. 705. Ter. Eu. 452. Ph. 694. *Non equidem* Amph. 328. Bacch. 1061. 1063. Capt. 578. Men. 715. Most. 909. Ter. Ad. 641.

[1]) 'Tursellinus seu de particulis latinis commentarii' vol. I—IV ed. Lips. a. 1829—1845.

[2]) cf. ib. vol. II (a. 1832), p. 355 sq.

[3]) ib. p. 342 sq.

[4]) 'Synt. prisc. script. lat. usque ad Ter.' vol. I, II ed. Lips. a. 1861, 1862.

quidem digna existimavit quae proponeret. Qui vero praeter eos viros huius rei disceptandae causam et occasionem habuerunt, comoediarum interpretes, satis esse plerumque putaverunt, hoc vel illud collocandi genus seorsum spectare et illustrare exemplis, et id quidem summatim vel aliis adducti causis [1]). Vel ea quae paullo accuratius Lorenzius adnotavit ad Mil. v. 26 sq. '*Edepol* und andere betheuernde Wörter werden im Eifer der Rede sehr oft von ihrem eigentlichen Platz entfernt und mit Nachdruck weiter nach vorne oder gar an die Spitze des Satzes gerückt', vel Brixius, quae similia sunt, ad Trin. v. 457 et 606, de collocatione subitariae notae sunt, quae ad artem criticam non valent.

Quibus praemissis incertisque harum particularum exemplis seclusis [2]) ad ipsam commentationem transeo.

Et simplicissimae quidem collocationis exemplum propono fr. Titin. 13

id necessest? ∾ ***Edi.***

Vox *edi* hoc loco [3]) absoluta exhibetur, sed, ut apparet, ex antecedente enuntiato interrogativo suppletur cogitatione *necesse est.*

[1]) Pauca saltem exempla hoc loco addo. Per occasionem summatim tractantur aut commemorantur compositiones aut collocationes formularum: *certo edepol*, *ne edepol*, *edepol certo*, *edepol profecto* (Lorenzius Most. ed. Berol. a. 1866 ad v. 805, Mil. ad 272. Langenus Symb. Plaut. ed. Lips. a. 1880, p. 23), *certe edepol* (Speng. Ter. Andr. ad 347. Lang. l. l. et p. 25), *edepol ne* (Fleckeis. Phil. II (a. 1847) p. 70. Lor. Mil. ad 407). *edepol* (*ecastor*) *qui* (id. Most. ad 811), *eu edepol* (Speng. Truc. ad III, 2, 27), *nam ecastor* (Brix. Capt. append. crit. p. 102 ad 893), *namque edepol* (*ecastor*) (Lor. Pseud. ad 533), *immo edepol* (Lor. Most. ad 753, Pseud. ad 852), *ne tu* (vel aliud pronomen) *edepol* (*ecastor*) (Fleck. l. l. p. 70 sqq. Lor. Most. ad 75, cf. adnot. crit. p. 236 ad eund. v., id. Mil. ad 407), *non edepol* (id. Most. ad. 591, Mil. ad 840) *si edepol* (*ecastor*) Brix. Trin. ed. III Lips. a. 1879 ad 457. Lor. Most. ad 220, Pseud. ad 284. Speng. Truc. ad II, 2, 60. Vssingius Aul. comm. p. 280 ad 48), *quia edepol* (Speng. Ter. Andr. ad 91).

[2]) Libri manuscripti omittunt *edepol* Ep. 11. Men. 292. Pers. 617, tradunt *pol* pro *edepol* Merc. 15. Rud. 345. Most. 146 (*edepol* C *aedis pol* mrg. B), *me castor* (*mecastor*) pro *ecastor* Men. 626. Truc. 879. 964 (*mecastor* A, *m* del. corr. rec.). Ex illorum incertis vestigiis restituitur *ecastor* Stich. 235 (*Ecastor* BC *Eo maior* A).

[3]) Hoc primum exemplum simul particulae *edi* unicum est, ubi quidem eius collocatio spectari possit. Nam in fr. Titin. 111 'An quia *pol edepol* fabulare, ***edi*** *medi* meministi?' *edi* ut *edepol* (et *pol*) tantummodo citatur. Ceterum

Haec enim verba efficiunt id quod voce *edi* affirmatur argumentum. Quod quo ordine cum ea coniungendum esset, si poneretur, hac condicione nondum dignoscitur.

Sequitur forma frequentissima, cuius primum exemplum sit Amph. 503, cui tamen versui explendae sententiae causa praecedentem anteponam,

A Quid istuc est, mi vir, negoti, quod tu tam subito domo
Abeas? I. ***Edepol*** *haud quod tui me neque domi distaedeat.*

Quod argumentum hoc loco particula *edepol* affirmatur, non ut supra cogitatur, sed ipsis verbis exprimitur, *haud* (sc. *negoti est*) *quod* e. q. s., et ita quidem, ut illi postponatur. Haec collocatio non videtur huius generis simplicissima esse. Nam ratio logica postulat, ut prius sit, quod affirmari possit, deinde fiat affirmatio. Sed interpretabimur, quod post *edepol* verbis explanetur argumentum ante eam particulam cogitatione quodammodo praesumi. Qui enim loquitur non expectat, dum quod cogitat enuntiavit, sed id ipsum cogitatum, priusquam enuntiat, affirmat. Quia vero haec ratio affectui excitatiori [1]) magis convenit quam illa, tamen ab hac forma ut a simplicissima quadam egredi licuit. Eiusdem quam breviter appellabo praesumptae affirmationis cetera exempla simplicissima haec sunt [2]): particulae *edepol* Amph. 510. 654. 848.

de verborum distinctione dubium illo loco non est, siquidem Charisius, a quo servantur, recte et plene laudavit. Scribit enim (II, p. 178 P.) 'Titinius in baratto: *id necessest?* respondetur' (sic opt. auctorit. cod. Neap.) '***edi***, pro ***edius fidius***.'

[1]) Similiter Brixius ad Trin. ed. III, v. 457 (*Si hercle ire occipiam, uotes*) ..... 'Der Sprechende aber antecipiert oft in einer gewissen Hast das Betheuerungswort' .....

[2]) A quorum numero non opus est ea subtilius discernere, in quibus inter primariam particulam *edepol* cett. et argumentum proprie affirmatum alia quae non affirmantur enuntiati membra interponuntur velut Men. 1020 ***Edepol***, *ere*, *ne tibi suppetias temperi adveni modo*, ubi *edepol* et argumentum affirmatum *tibi suppetias temperi* e. q. s. disiungunt insitae personae appellatio (*ere*) et alia particula affirmativa (*ne*). Nam ad illam commentationem id unum interest, quot et cuiusmodi voces particulam affirmativam praesumptive collocatam praecedant. Idem ad omnes huius collocationis formas valebit. Tamen perspicuitatis in omnes partes augendae causa ab illiusmodi exemplis variarum collocandi formarum illustrationem nusquam incipiam.

fr. VII. As. 558. 580. 833. 893. 901. Aul. 314. 580. 610. Bacch. 166. 218. 293. 545. 1055. Capt. 253. 452. 545. 948. Cas. II, 5, 18. IV, 3, 12. 4, 22. Curc. 142. 386. 462. 505. Ep. 35. 406. 619. 686. Men. 333. 464. 650. 899. 1020. Merc. 204. 643. 958. Mil. 25. 49. 285. 309. 471. 779. 988. 1000. 1218. Most. 438. 985. 1077. Pers. 564. 673. Poen. 324. 695. 716. Pseud. 476. 519. 1205. 1214. Rud. 489. 527. 654. 837. 1152. Stich. 111. 126. 345. 356. 586. 587. 592. 613. Trin. 65. 90. 128. 335. 346. 433. 438. 592. 890. Truc. 361. 451. Ter. Ht. 381 ***Edepol*** *te, mea Antiphila, laudo et fortunatam iudico* e. q. s. Hec. 88. 274. 799. 763. 783. fr. Naev. 55. Caec. Stat. 135. 173. Titin. 48. — ***ecastor*** Amph. 508 ***Ecastor*** *te experior, quanti facias uxorem tuam.* ib. 537. 663. 714. As. 530. 719. 898. 930. 936. cf. 292 (*Heu edepol* Gz-L.). Cas. III, 2, 2. Cist. I, 1, 49. 119. II, 1, 38. IV, 2, 61. Men. 424. 752. Merc. 533. 691. 716. 805. 814. Mil. 380. cf. 1041 (*Hem, ecastor* R.). Truc. 430.

Eadem vero explicatio cuivis alii particulae affirmativae enuntiati initio positae adhiberi potest. Neque igitur illius formae ratio mutatur, ubi *edepol*, *ecastor* eiusdem modi voces sequuntur, velut Pseud. 1252

Profecto edepol *ego nunc probe abeo madulsa*

Apparet enim vox affirmandi *profecto* itidem ut *edepol* ante huius sententiae argumentum quod affirmatur *ego nunc probe abeo madulsa*. Item sequuntur particulas ***equidem*** *): ***ecastor*** Amph. 698 ***Equidem ecastor*** *vigilo et vigilans id quod factumst fabulor.* ib. 730. Men. 658. cf. ***equidem edepol*** Pers. 546 ***Equidem edepol*** *liberalist, quisquis est* (*equidem* mss. c. A *et quidem* R.). — ***quin: edepol*** Ep. 118 ***Quin edepol*** *egomet clamore differor, differor.* Cas. I, 5. III, 1, 7. 4, 19. — ***certe: edepol*** Amph. 271 sq. ***Certe edepol***, *si quicquamst aliud quod credam aut certo sciam, // Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium.* Aul. 215. Pseud. 511. Ter. Ph. 735 sq. ***Certe edepol***, *nisi me animus fallit aut parum prospiciunt oculi, // Meae nutricem gnatae vides.* — cf. ***certo : edepol*** Merc. 444 sq. (*certo* mss. *certe* Gz.).

Atque eadem ratio exstat Aul. 730

Quid ego agam ***edepol*** *nescio.*

*) De vocis *equidem* vi affirmativa vid. Ribbeckium libr. l. p. 36 sqq.

Edepol in media sententia conspicitur. Sed quamquam omnia quae proposui verba unum denique enuntiatum efficiunt, tamen in eodem duo minora discernuntur, subordinatum sive secundarium *quid agam* et primarium *edepol nescio*, quorum utrumque perfectum est. Ergo, si alterum seorsum spectamus, hoc quoque loco argumentum (*nescio*) praesumptive affirmatur.

Neque differt ratio Pl. fr. incert. fab. v. 15

Perfidiose captus, ***edepol*** *nervo cervices probas.*

Verba enim *Perfidiose captus* transformata cogitare licet ex proprio enuntiato, velut ex hoc *qui perfidiose captus es.* Sic *edepol* quodammodo ut supra initio enuntiati primarii postpositi exhibetur.

Si vero illius collocationis interpretatio, ubi alia particula affirmativa aut enuntiatum secundarium praemittitur, propterea eadem est, quod affirmandum argumentum posterius incipit, eodem referenda sunt ea exempla, in quibus *edepol*, *ecastor* interiectiones sequuntur, velut Truc. 695

Eu**, edepol** *hominem nihili.*

(*Eu* mss. *Heu* Sch.) Quod enim affirmatur argumentum ex verbis *hominem nihili* constat, interiectio *eu* ut *edepol* tamquam ad hoc ornandum extrinsecus accessit*). It. post interiectiones **eu: edepol** Men. 160. ib. cf. 908 (*eu* B^1 C *heu*, 'ut videtur', B^2, R.). cf. Ep. 72 (*Eu* B *Heu* Gz.). Most. 981 (*Eu* B^1 C *Ei* B^2 *Heu* R.): **ecastor** Titin. 59 ***Eu*****, ecastor**, *si sitis moratae ambae ibus pro ut ego moribus.* cf. Poen. 283 (*Eu* AB *Heu* C Gz.-L.). — **heu: edepol** cf. Poen. 603 ***Heu*****, edepol** *mortalis malos* (*Heu* BC om. A *Eu* Gz.-L.). cf. Rud. 415 (*Heu* mss. *Eu* Fleck.): **ecastor** Mil. 1062 ***Heu*****, ecastor** *hoc nimis vilest tandem* (*Heu* R. *neve* B *eu* C). — **hem: ecastor** Mil. 1041 ***Hem*****, ecastor** *haut mirumst.*

Ad hanc formam referemus Mil. 322 sq.

Verbero**, edepol** *tu quidem* || *Caecu's, non luscitiosus,*

---

*) Interiectio adeo e cetero conexu extollitur, ut hiatum admittat, velut ante ipsam vocem *edepol* Rud. 415 *An. Égo sum. Ṡc. Hem quid hoc bonist?* ***eu*****,** | **edepol** *spécie lepida múlierem.* Cf. Ritschel. proll. in Trin. p. CLXXXIX sq. Exempla plura apud Speng. T. M. Plaut. p. 219 sq. et Muellerum prosod. Plaut. p. 718 sqq. (praes. p. 724).

ubi *edepol* enuntiati secundo loco post vocativum collocatum est. At vocativus non est ipsius affirmati argumenti, sed huic ut membrum seiunctum praemittitur*). Eiusmodi alterum exemplum est Ter. Ad. 961 ***O noster Demea*****, edepol** *vir bonus's.*

Formae frequentioris quae eodem pertinet exemplum est Curc. 571

Th. Mihin malum minitare? C. ***Atque edepol*** *non minitabor, sed dabo.*

Hoc loco secundariam particulam *edepol* praecedit coniunctio *atque.* Qua voce non enuntiati quod sequitur argumentum suppletur, sed argumenta duorum iustorum enuntiatorum, quorum prius supplendum est, sc. *malum minitabor*, alterum verba *non minitabor* e. q. s. continet, inter se quasi comparantur, sc. copulantur. Idem fere iudicandum est de omnibus coniunctionibus, sive eis enuntiata inter se paria coordinantur, ut hoc loco, sive unum alteri subordinatur: nam eis omnibus dumtaxat significatur quae inter duas quae coniunguntur sententias intercedit ratio, sive adversativa est sive causalis sive alia. Atque primum quidem succedunt coniunctionibus, quibus coordinatur: cop. **et: edepol** Most. 294 sqq. *set, voluptas mea,* || *mea Philematium, potare tecum conlubitumst mihi.* || *Ph.* ***Et edepol*** *mihi tecum* (*Et* R. *Libet et* [*Libet* a numero alienum glossema] BC) — **atque: edepol** Cas. III, 2, 24. Curc. 571. Men. 385. 568. Pers. 451. 697. Pseud. 784. 1050. Rud. 1237. cf. Trin. 1164 (*atque* mss. *atqui* R.). Ter. Andr. 692 sq. ***Atque edepol*** || *Ea res est:* **ecastor** Bacch. 86 ***Atque ecastor*** *aput hunc fluvium aliquid perdendumst tibi.* — **neque: edepol** Men. 687 ***Neque edepol*** *te defrudandi causa posco.* Ter. Eun. 867 sq. ***Neque edepol*** *quid nunc consili capiam scio* || *De virgine istac.* # disj. **neque: edepol** Amph. 762 ***Neque edepol*** *dedi neque dixi.* ib. 768. As. 512. Aul. 223. 254. 764. Men. 629. Rud. 1371. Trin. 971. # adv. **verum: edepol** Cas. II, 5, 20 ***Verum edepol*** *tua mihi odiosa est amatio.* As. 567: **ecastor** Aul. 272 *Di bene vertant:* ***verum ecastor*** *non potest.* Rud. 380. Ter. Hec. 835 sq. ***verum ecastor*** || *Numquam animum quaesti gratia ad malas adducam partis.* — **at: edepol** Merc. 140 ***At edepol*** *tu calidam picem*

---

*) Vocativus quoque, quia a conexu recedit, hiatum admittit. Exempla ap. Speng. l. l. p. 218 sq. Muell. l. l. p. 678.

bibito. Poen. 571. 1217.: ***ecastor*** Truc. 111 ***At ecastor*** *nos rusum lepide referimus gratiam furibus nostris* (*ecastor* A. om BC). — ***atqui: edepol*** Pseud. 1024 ***Atqui edepol*** *equidem nolo.* # conclus. ***ergo: edepol*** Capt. 1020 ***Ergo edepol*** *merito meritam mercedem dabo.* Men. 1023. Merc. 376. Pers. 24. Ter. Ad. 959 ***Ergo edepol*** *hodie mea quidem sententia* || *Iudico Syrum fieri esse aequom liberum.* fr. Turp. 38. # caus. ***nam: ecastor*** Aul. 279 ***Nam ecastor*** *malum maerorem metuo, ne inmixtim bibam.* Cas. V, 4, 11. Men. 372. Truc. 176. 239. — ***namque: edepol*** Capt. 604 sq. ***Namque edepol*** *si adbites propius, os denasabit tibi* || *Mordicus.* Men. 1137. Merc. 508 (*Namque* AB *Nam* C). Mil. 1226. Pseud. 555. Stich. 573. 662. 719. cf. Poen. 328 (*Namque edepol* mss. *Nam lucrum quidem edepol* Gz.-L.): ***ecastor:*** Cist. I, 1, 71 ***Namque ecastor*** *amor et melle et felle est foecundissimus.*

Priusquam hinc ad coniunctionum quibus subordinatur exempla transeo, aptum videtur eas formas huc addere, quae ad illas proxime accedunt. Huc primum pertinet fr. Titin. 157

Quamquam estis nihili, ***tam ecastor*** *simul vobis consului.*

Cui exemplo cum illis id convenit, quod particula affirmativa *ecastor* coniunctionem sequitur (sc. *tam* = *tamen*), quae vim habet enuntiata inter se pariter coordinandi. Quod vero interest, scilicet id, quod enuntiato affirmato subordinatum aliud praemittitur (*Quamquam estis nihili*), non tangit eam rationem, quae inter illam affirmandi vocem et affirmatum argumentum *simul vobis consului* intercedit, cum praesertim illud subordinatum fere speciem praebeat coordinati. Statim hoc perspicitur, si omittitur *quamquam* coniunctio: *Estis nihili: tam ecastor simul vobis consului.*

Adiungo porro Poen. 869

S. Diespites me sic amabit. M. Vt ***quidem edepol*** *dignus es.*

Vocem *edepol* non modo praecedit coniunctio, quae hoc loco comparativa est, verum etiam particula *quidem*, ut illa enuntiati loco tertio appareat. Sed hoc exemplum priorum rationem exhibere tamen eo probatur, quod argumentum quod affirmatur ex verbis tantum quae vocem *edepol* sequuntur *dignus es* constat, non simul *quidem* continet. Vis enim particulae *quidem* propria est restringendi. Cui significationi cum quaedam demonstratio

et affirmatio subsit, quodam iure illa particulis affirmativis adnumeratur [1]) neque ego idem facere dubitabo, quamvis ceterum hanc affirmationem seorsum spectari velim. Affirmationis auctio hoc quoque loco non inepta est verbaque *dignus es* tamquam duabus vocibus affirmativis praesumptive affirmantur.

Atque statim asserendum hoc exemplum est As. 644 sq.

L. Proinde istuc facias ipse, quod faciamus nobis suades:
A. Ego vero et ***quidem edepol*** *lubens.*

Duo enuntiata *ego vero* sc. *faciam* et *lubens* sc. *faciam* ita coniunctione *et* copulata inter se continuantur, ut post hanc et ante affirmandum argumentum voci *edepol* particula *quidem* praeponatur [2]).

Iam igitur transeo ad eos locos, quibus particulae *edepol*, *ecastor* post coniunctiones inveniuntur, quibus unum enuntiatum

[1]) Holtzius libr. l. vol. II p. 313 'Quidem restringit eoque intendit notionem enuntiationis'. Cf. etiam Lor. Most. ad v. 588. Brix. Capt. III ad v. 354.

[2]) Quo iure *quidem* cum particulis affirmativis comparetur, ubi coniunctionem *et* sequitur, optime probatur, si conferuntur haec similia exempla: Pers. 217 *S. Ego eo hinc haut longe. P. Et* ***quidem*** *ego eo haut longe* cum Cas. II, 2, 9 *C. Nam ego ibam ad te. M. Et* ***pol*** *ego istuc ad te.* — Stich. 757 sq. *Steph. Si quidem mihi saltandumst, iam vos date bibat tibicini. Stich. Et* ***quidem*** *nobis* cum Most. 295 sq. (*Philol.*) *potare tecum conlubitumst mihi.* || *Philem. Et* ***edepol*** *mihi tecum* (*Et* R. *Libet et* mss.) — Ter. Andr. 966 sq. *sed quid mihi obtigerit scio.* || *P. Et* ***quidem*** *ego* cum Mil. 433 *Sc. Certe equidem noster sum. P. Et* ***pol*** *ego.* — *quidem* Mil. 259 (*et quidem* B² et 'ut videtur' A *ecquidem* B¹C). Merc. 1000. Ter. Ph. 209. Hec. 195 (*Et quidem* A *Equidem* D) cum *pol* Pers. 224. 234. Sane una cum formula *et quidem* quaedam amplificatio sententiae exhibetur ut illo quem proposui Menaechmorum loco, ubi primis verbis versus 645 *Ego vero* sc. *faciam* Argyrippus affirmaverat, se facturum esse, deinde vero post particulas *et quidem edepol* explicatius addit, se lubenter facturum esse. Sed, quod animadvertendum est, huic gradationi exprimendae solum *et* sufficit. Cf. Men. 651 sq. *Men. Quis arguit?* || *Matr. Egomet. P.* ***Et*** *ego* (*auch ich*). ib. 1108 *Mess. Patrem fuisse Moschum tibi ais? Men. I. Ita vero. Men. II.* ***Et*** *mihi.* Most. 397 *Omnium primum, Philematium, intro abi,* ***et*** *tu Delphium.* ib. 425 sq. *Clavim cedo atque abi hinc intro: occlude ostium,* || ***Et*** *ego hinc occludam.* Pers. 250 *Abi:* ***et*** *ego abiero.* ib. 709 *D. Vale. S.* ***Et*** *vos.* Bacch. 605. 1106. Most. 528 sq. Truc. 123. De *et quidem* cf. etiam Holtzius libr. l., vol. II p. 331 ('formula, quae partim amplificandae sententiae partim confirmandae inservit') Lor. Mil. ad v. 258 ('*Et quidem* bestaerkend und erweiternd: *und noch dazu*') Brix. Men. II ad v. 560 ('*et* auch'). Speng. Ter. Andr. ad v. 967 ('*et quidem*' = ego quoque ..... zuweilen *et quidem* für *etiam*').

alteri subordinetur: de qua forma ad ea quae de coniunctionibus quibus coordinetur exposui haud multa addere opus est. Tale exemplum est As. 188

***Si ecastor** nunc habeas quod des, alia verba praehibeas.*

ubi *ecastor* coniunctionem condicionalem *si* sequitur. Duorum igitur enuntiatorum argumenta *nunc habeas quod des* et *alia verba praehibeas*, quorum utrumque seorsum potest intellegi, ita coniunctione *si* conexa sunt, ut exprimatur, hoc non esse nisi illud sit. Qua ratione gravius videtur argumentum enuntiati condicionalis, quia hoc alterum tamquam nititur, neque mirum est, Plautum haec potissimum verba voce *ecastor* affirmasse. Contra si cogitamus, idem hoc argumentum grammatica constructione alteri subordinatum esse, illud alterum gravius videtur et dignius quod affirmetur, ut fiat *Si nunc habeas quod des, **ecastor** alia verba praehibeas:* quod exemplum cum illo Aululariae 730 conferri potest *quid ego agam **edepol** nescio.* Quam collocationem poeta cur non illi praetulerit, ad nostram quaestionem non interest diiudicare: id apparet, vocem *ecastor* argumentum condicionale quocum coniungatur non intrasse. — Similiter *ecastor* collocatum est Truc. 315. Saepius haec forma exstat, ubi enuntiatum primarium supplendum est, velut Bacch. 253 sqq.

(*Chr.*) *Tun hospitem illum nominas hostem tuum?*
N. Quid ita (sc. *interrogas*), *obsecro hercle?* ***Quia edepol***
certo scio
Volcanus, Luna, Sol, Dies, dei quattuor,
Scelestiorem nullum inluxere alterum.

Expl. *Interrogo, quia edepol* e. q. s. Similiter post eandem coniunctionem causalem ***quia: edepol*** Most. 825. Pseud. 339. 953: ***ecastor*** Most. 273 *Ph. Quapropter? Sc. **Quia ecastor** mulier recte olet, ubi nil olet.*

Vltima forma, quae ad primam illam referenda est, in manuscriptis traditur Aul. 261 sq.

(*M.*) *Sed nuptias*
Hodie quin faciamus, num quae caussa est?
*Eu. **Immo edepol** optuma.*

(*hercle* Gz.) Affirmatur argumentum *optuma* sc. *causa est.* Nam *immo* particula est neque affirmari potest. Accedit autem prope

ad vim coniunctionum, sicut hoc loco affirmatum argumentum comparatur cum argumento interrogationis, quod fere hoc affirmativum est *non causa videtur esse quin nuptias hodie faciamus* vel *causa videtur esse cur . . . faciamus.* Quibus sententiis gradatio exprimitur, aliis locis ubi *immo* exstat contrapositio apparet, velut Ep. 666 sq. *P. Satine illic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos || Habet? A. **Immo edepol** tu quidem miserum med habes miseris modis.* Quia vero, quod eadem exempla docent, gradationem aut contrapositionem non vox *immo* efficit, sed haec eas sententias, quae inter se continuatae argumentis ipsis alteram utram rationem indicent, tantummodo comitatur, quod de ceteris coniunctionibus eodem iure non potest poni, vel vis quaedam affirmativa ei subest*). Ergo fere eadem ratione haec particulae *edepol* collocatio ab ea forma derivatur, qua illa ante affirmatum argumentum coniunctionem sequatur, atque ab ea, qua eodem enuntiati loco aliam particulam affirmativam. It. post ***immo: edepol*** Bacch. 1100. Capt. 209. 287. 289. Cas. II, 8, 19. Ep. 667. Men. 678. 1068. Mil. 422. 462. Most. 766. 1082. Pseud. 873. 1199. Rud. 1161. 1305. fr. Afran. 103: ***ecastor*** Mil. 443 ***Immo ecastor** stulta multum, quae vobiscum fabulor.*

Omnes quas adhuc spectavimus formae eo congruebant, quod voces affirmandi *edepol, ecastor* ante affirmatum sententiae argumentum exhibebantur. Aliud est quo nunc procedimus. Affero primum Trin. 906

*Ch. Quid eist nomen? S. **Quod edepol** homini probo.*

Hoc loco particulam *edepol* non vocabulum praecedit, quod integra enuntiati constructione seiungi possit, sed membrum ipsius quod affirmatur argumenti. Pervenimus igitur ad alterum affirmationis genus, quae affirmatio postposita appelletur, ut illam praesumptam appellavimus. Cuius generis formarum ea

*) Etiam Vahlenus in Terentii Eunuchi interpretationibus (vid. p. 11 adnot. III) particulam *immo* affirmativam appellavit. Cum interiectionibus autem eidem id commune est, quod hiatum efficit. Cf. in mss. Cas. IV, 4, 16 *Tene hánc lampadem. 'Immo | ego hánc tuebo* (sic A, cett. mss. pro altero *hanc* aut *iam* aut *eam*). Cùrc. 345 *Dédistin tu argentum? inquam. | immo | ápud tarpezitám situmst.* Most. 1032 (*S.*) *Turbávit? Th. 'Immo | éxturbavit ómnia.* Stich. 255 *Immó | ut a vobis mútuom nobís dares.* ubi A sane lacunam duarum syllabarum inter *Immo* et *ut* exhibet. Truc. 752 *'Immo | istoc ád vos.*

quam proposui omnium simplicissima est. Nam ut particulam affirmativam de affirmato argumento unum modo vocabulum praecedit, ita huius exempli proprium est, quod quodam iure cum praesumpta affirmatione conferri queat, quamvis diversum sit. Illud enim primarium pronomen (*Quod*), quippe quod vim habeat relativam, quodam modo coniunctioni simile est, qua hoc enuntiatum cum antecedente comparetur vocemque affirmativam simili ratione praeire videtur atque coniunctiones.

Persaepe vero particula affirmativa primum argumenti quod affirmatur vocabulum sequitur, in quo vis relativa non insit, velut Amph. 336

*Non **edepol** nunc ubi terrarum sim scio, si quis roget.*

ubi *edepol* postponitur adverbio, quod ad id tantum quod sequitur enuntiatum spectat. Ergo hoc postpositae affirmationis exemplum affirmationi praesumptae omnino contrarium est suique generis propriam rationem luculentissime exhibet. Nec tamen interest, adverbiumne primum affirmati argumenti vocabulum sit, sicut in eo quod exposui exemplo, an substantivum ut Merc. 375 ***Nausea edepol*** *factum credo*, an verbum ut Aul. 470 ***Credo edepol*** *ego illi mercedem gallo pollicitos coquos, // Si id palam fecisset*, an adiectivum ut Capt. 805 ***Mira edepol*** *sunt, ni hic in ventrem sumpsit confidentiam*, an pronomen denique, quod pro substantivo substituitur, ut As. 140 ***Ego edepol*** *te faciam, ut quae sis nunc et quae fueris scias:* nam omnibus his exemplis id commune est, quod vox affirmativa unum primumque vocabulum ipsius quod affirmatur argumenti sequitur. Neque refert, utrum quod affirmatur argumentum complura verba complectatur ut supra an ex uno constet ut Amph. 1074 ***Credo edepol.*** Nam quamquam tali condicione vox affirmativa simul ultimo enuntiati loco exhibetur, tamen nihil est, quo illa ratio improbetur. Cetera igitur quae huc pertinent exempla haec sunt: ***edepol*** Amph. 282. 371. 516. 753. 887. 913. 1041. 1045. cf. 776 (*Edepol* mss. *Id* [vel *Ita*] *edepol* R.). As. 299. 395. 465. 886. Aul. 204. 630. Bacch. 161. 321. 515. 962. cf. 1131 (*Haec ecastor* B *Ecastor* C. Gz.). Capt. 805. 1017. 1023. Cas. I, 40. II, 5, 1. 19. 6, 2. Cist. II, 1, 34. IV, 2, 66. Curc. 157. 409. 537. Ep. 263. 409. 461. 629. cf. 61 (*edepol* B et 'ut videtur' A, *pol* Gz.). Men. 325. 500. 518. 613. 824. 1067 (*edepol* Bb *me depol* Ba *me edepol* C)

1144. cf. 92 (*hercle* R.). Merc. 126. 391. 419. 438. 446. 460. 496. 514. 532 (*ita edepol* AB *edepol* C). 722. 988. Mil. 406. 538. 586. 847. 848. 1074. 1255. 1263. 1270 (*edepol* B *hercle* C). Most. 376. 442. 609. 657. 816. 818. 833. 905. 1026. 1088. 1092. 1113. 1116. Pers. 21. 102. 128. 186. 484. 547. 668. Poen. 839. 872. 887. 986. cf. 409. Pseud. 152. 342. 507. 925. 1018. 1101. Rud. 511. 943. 1045. 1186. 1188. 1288. 1368. Stich. 476. 575. 638. 756. Trin. 172. 357. 362. 522. 574. 613. 907. 1004. 1147. Truc. 306. 365. 548. 656. cf. IV, 2, 50. (*ego edepol* mss. *tum ego edepol* Sch.). Vidul. fr. I, 27. Ter. Andr. 305 sq. ***Quaeso edepol***, *Charine, quoniam non potest id fieri quod vis, // Id velis quod possit.* Eu. 916. 1002. Hec. 160. 732. 786. Ad. 289. — ***ecastor*** Amph. 682 sq. ***Obsecro ecastor*** *quid tu me deridiculi gratia // Sic salutas atque adpellas?* e. q. s. ib. 812. 858. As. 864. 877. 880. 888. 898. Cas. II, 2, 11. 3, 41. 48. 6, 3. III, 2, 8. 3, 13. 15. V, 1, 3. 4, 13. 25. Cist. I, 1, 88. IV, 1, 16. Men. 213. Merc. 503. Mil. 1224. Most. 188. 208. Pers. 219. Poen. 323. 1176. 1329. Stich. 361. 617. Truc. 481. 503 (*Salve ecastor* B *Salve* cum spat. ante *ecastor* C). 523. 542. 898. Ter. Andr. 486 ***Per ecastor*** *scitus puer est natus Pamphilus.* fr. Turp. 50. Incert. 39. — Adde Cist. I, 1, 13 ***Lubentique edepol*** *animo factum et fiet a me* e. q. s.

Continuare licet Cas. II, 6, 8

*Tibi **quidem edepol** ita videtur.*

Nam particula *quidem*, qua *edepol* de altero loco remotum apparet, ipsam vim auget affirmandi, ut vidimus, non ea, quae affirmantur, quamvis proprie restringens pronomini *Tibi* adhaereat. Primo igitur affirmati argumenti vocabulo duplex quaedam affirmatio succedit, quarum prior proprie cum illo coniuncta est, quapropter alteram praecedit. Eadem condicione *edepol* Cas. II, 6, 31. V. 4, 31. Cist. IV, 2, 87. Ep. 648. Men. 383. 665. 927. Merc. 393. Mil. 19. 659. Poen. 977. 978. Pseud. 1199. Rud. 557. 806. — ***ecastor*** Cist. I, 1, 45 sq. Haec ***quidem ecastor*** *cotidie viro nubit nupsitque hodie, // Nubet mox noctu.*

Deinde affero Truc. 376 sq.

Si quid tibi
*Compendi facere possim, factum **edepol** velim.*

Eadem illa ratio apparet, nisi quod enuntiatum, cuius altero loco *edepol* exstat, secundario postpositum est. It. *edepol* Ter. Hec. 519 sq. *Quod si rescierit peperisse eam, id qua causa clam me habuisse || Dicam, non* ***edepol*** *scio.* ib. 568. — ***ecastor*** Most. 240 *Nec recte si illi dixeris, iam* ***ecastor*** *vapulabis.*

Redeunt, ut videmus, ad hoc genus formae collocationis illius praesumptae, si illius quod erat proprium omittimus. Quarum explicationes non repetam, sed satis erit eiusmodi formas singulis ut adhuc normae causa praescriptis exemplis continuare.

Primo igitur affirmati argumenti vocabulo aut uni quod affirmatur postponuntur: praemissis

I a. particula affirmativa ***ne: edepol*** Amph. 182 sq.

> ***Ne*** *illi* ***edepol****, si merito meo referre studeant gratiam,*
> *Aliquem hominem adlegent, qui* e. q. s.

It. ib. 843. As. 409. 560. Aul. 447. Bacch. 1047. Mil. 408. Stich. 272. Vidul. fr. II, 14. — ***ecastor*** As. 896 ***Ne*** *illa* ***ecastor*** *fenerato funditat.* Truc. 892. cf. As. 869 (*ne illum* mss. *ne ego illum* Gz.-L.).

b. item, praecedente enuntiato secundario: ***edepol*** Pers. 7 sq.

> *Qui ero suo servire uolt bene seruos servitutem,*
> ***Ne*** *illum* ***edepol*** *multa in pectore suo conlocare oportet* e. q. s.

(*illum edepol* A *edepol illum* cett.) — ***ecastor*** As. 532 sq. *Nunc adeo nisi mi huc argenti defert viginti minas, ||* ***Ne*** *ille* ***ecastor*** *hinc trudetur largus lacrumarum foras.*

II. interiectione, velut ***eu: edepol*** Most. 842

> ***Eu****, recte* ***edepol*** *mones.*

cf. etiam ***ehem: edepol*** Rud. 805 (*Ehem optume edepol* mss. *Eccum opt. ed.* Fleck.).

III a. coniunctione qua coordinatur, velut cop. ***et: edepol*** Poen. 1039

> *H. O mi popularis, salve. A.* ***Et*** *tu* ***edepol****, quisquis es.*

it. Trin. 19. Ter. Hec. 83 ***Et*** *tu* ***edepol*** (*sc. salve*), *Syra.* — ***neque: edepol*** Trin. 918 ***Neque*** *adeo* ***edepol*** *flocci facio, quando egomet memini mihi.* # adv. ***at: edepol*** Merc. 137 ***At*** *tu* ***edepol*** *sume laciniam atque absterge sudorem tibi:* ***ecastor*** Ter. Hec. 860 ***At*** *tu* ***ecastor*** *morem antiquom atque ingenium optines* e. q. s. # caus. ***nam: ecastor*** Stich. 151 *Tecum adduce:* ***nam*** *illum* ***ecastor*** *mittere ad portum volo* e. q. s.

b. item, interposito ***quidem***, velut praem. coni. cop. ***nec: edepol*** As. 190

> *A. Non meumst. C.* ***Nec*** *meum* ***quidem edepol****,*
> *ad te ut mittam gratiis.*

caus. ***nam: edepol*** Amph. 777 ***Nam*** *haec* ***quidem edepol*** *larvarum plenast.* As. 543. Curc. 182. Truc. 207 (*tu quidem edepol* A *tu edepol* BC).

c. item, praecedente simul enuntiato secundario: ***edepol*** As. 278 sq.

> ***Nam*** *huic occasioni tempus si se supterduxerit,*
> *Numquam* ***edepol*** *quadrigis albis indipiscet postea.*

IV. vocativo et coniunctione: ***ecastor*** Ter. Ph. 1050 sq.

> ***Phormio****,* ***at*** *ego* ***ecastor*** *posthac tibi quod potero quod voles*
> *Faciamque et dicam.*

Hae eiusdem generis variae formae ad eandem unam referri poterant, quod aut particulae affirmativae *edepol*, *ecastor* vocem ipsam quoque affirmativam *quidem* sequebantur aut enuntiati initio membra collocata erant, quae ipso quod affirmabatur argumento integro absolvi poterant. Nova forma est haec, Amph. 281

> ***Eam quoque edepol*** *etiam multo haec vicit longitudine.*

Interposita voce *quoque*, quae ipsa affirmari non potest, at affirmato argumento inhaeret, *edepol* loco tertio apparet. Sed illa vox, quae omni gravitate careat, adeo propense ad primarium pronomen *Eam*, cui proprie definiendo inservit, inclinatur, ut *edepol* tamquam uni membro composito postpositum videatur. It. post secundarium *quoque* Poen. 282. Pseud. 1215. Trin. 900. Ter. Hec. 623 ***Tibi quoque edepol*** *sum iratus, Philumena.*

Eadem ratio Trin. 333. Ad interrogationem *Quia eam perdidit?* (v. 330) respondetur

***Per comitatem edepol**, pater.*

Nam praepositio quoque cum casu suo ita cohaeret firme, ut non possit mirum esse, hanc coniunctionem non interposita voce affirmativa laxari [1]).

Quibuscum exemplis apte confertur Most. 1008

***Ne istuc quidem edepol** postulo.*

Vt *quoque* et praepositiones cum determinandis vocabulis, ita particula negativa *ne* cum vocabulo peculiariter negando artissime coit. Qui coitus, quod notum est, saepe tantum valet, ut solidum compositum existat, cuiusmodi sunt *nescio, nequeo, nemo, neuter, nullus* all. Hoc autem loco, quamquam compositum non exhibetur, eo tamen firmius *ne* et negatum *istuc* conexa sunt, quod *istuc* vel potius substantivum hoc pronomine significatum insequente particula *quidem* affirmatur. Nam consentaneum est, exiliorem vocem eo propensius ad aliam se inclinare, quo fortior haec ipsa sit [2]).

Sequuntur exempla, in quibus particulam affirmativam duo de affirmato argumento vocabula praecedunt, quorum alterum particula non sit. Velut Ter. Hec. 741

***Est magna ecastor** gratia de istac re quam tibi habeam.*

Affirmati argumenti vocabulorum *Est* et *magna*, quae tertio loco *ecastor* sequitur, utrumvis ipsum affirmari potest, ut et dicatur *Est ecastor* et *Magna ecastor*. Sed aliud efficitur verbo *est*, ubi ipsum est praedicatum, aliud ubi verbum quod appellamus

---

[1]) Vbi tamen inter praepositionem et casum qui attinet particula affirmativa intercedit, velut Most. 18 *Cis **hercle** paucas tempestates* e. q. s., praepositio propius accessit ad adverbium (cf. adverbium *citra*).

[2]) Contra Cist. II, 3, 39 *periisti, **ne hercle hoc** longe*, ubi *quidem* deest, particula *ne* a negato *hoc* p. affirmativa *hercle* seiungitur. Sane idem fit Mil. 31 ***Ne hercle** operae pretium **quidemst***, ubi *ne-quidem* exhibetur. Sed huic singularitati id excusationi est, quod negatio non ad unum vocabulum *operae*, sed longius etiam ad *pretium* patet, ut altera ex parte *quidem* totam notionem *operae pretium* affirmat. Qua ratione illud vinculum, quo *ne* et unum *operae* continerentur, paullo remissum est, ut affirmandi vox *hercle*, quae negari non possit, haud mire intercedat.

copulativum. Velut Capt. 313 ***Est** profecto deus, qui quae nos gerimus auditque et videt* verbum *Est* proprium est sicut fere *exstat*, *vivit* ipsumque de subiecto *deus* praedicatur (*Es existirt ein Gott, der* cett.). Idemque de illo Hecyrae exemplo iudicandum esset, si adiectivo *magna* omisso legeretur *Est ecastor gratia de istac re quam tibi habeam.* Sed illo accedente, cum non praedicetur, gratiam e s s e, sed m a g n a m esse, illa verbi *esse* forma omnem gravitatem perdidit et retinuit vim, quae comparari possit cum vi particularum copulativarum, nisi quod his enuntiata, illa subiectum et praedicatum eiusdem enuntiati copulantur. Quod si ita est, existimare licet, tenue illud *est* inclinatione ad adiectivum *magna* unum quodammodo verbum praedicatum efficere *).

Addo Most. 157

***Iam pridem ecastor** frigida non lavis magis lubenter* e. q. s.

(*ecastor* B *mecastor* C) Satis notum est, in compositionibus *iam pridem*, *iam diu*, *iam dudum*, similibus adverbium *iam* cum adverbiis *pridem*, *diu*, *dudum* cett. in unum fere compositum temporale coaluisse.

Etiam adiungo Truc. 583, ubi codex B (A deest) hanc prodit lectionem:

***Grata acaque ecastor** habeo (sc. haec dona).*

(*Grataque ecastor* C *Grata amata ecastor* Sch.) Sive in voce *acaque*, quam mendosam reliqui, (cum Spengelio) *caraque* sive aliud cognoscitur, satis magna probabilitate id certe conicitur, cuidam adiectivo copulativam syllabam *que* suffixam esse. Id ipsum autem est, cur hoc exemplum a prioribus illis derivare liceat. Nam quae suffixo *que* hoc loco efficitur coniunctio adiectivorum similis ut videtur significationis adeo firma potest existimari, ut una quasi notio exstiterit, quam *ecastor* tamquam primum membrum sequatur.

Iam pergo ad formam subtiliorem, quae explicatius disceptanda erit. Quale primum exemplum est Truc. 886 sq.

Propter hunc spes etiamst hodie probe tacturum iri militem,
*Quem **ego ecastor** mage amo quam me, — dum id quod cupio inde aufero.*

---

*) Illa inclinatio numero iuvatur *Est mágna ecastor* e. q. s.

(*ego* B, om. C). In hoc exemplo ab illo postpositae affirmationis primo id differt, quod inter primarium pronomen relativum et vocem affirmativam pronomen intercessit. Quaeritur, num huius vocabuli natura, ne haec forma ad illam referatur, prohibeat. Quod ut diiudicetur, exeundum videtur a pronominum natura communi. Pronominum genus medium est inter genus nominum, verborum, adiectivorum et alterum particularum, quae sunt voces affirmativae, interiectiones, praepositiones, coniunctiones cett. Cuius alterius generis vocabulis aliquid praedicatur velut vocabulis *spes, amo, frigida, hodie*, alterius vocibus aliquo modo praedicatum, sive unum vocabulum est sive complurium constructio, aliquo modo determinatur. At pronomine neque quidquam praedicatur neque determinatur, sed, ut ipsa appellatio indicat, pro persona aut re, quae ipsis nominibus praedicari poterant, substituitur, ut in eo nihil amplius restet quam personae aut rei quaedam demonstratio. Haec vis dumtaxat demonstrativa quodammodo in omnibus pronominibus inest, non modo in eis, quae proprie demonstrativa appellamus, quia nullo pronomine ipsa persona aut res praedicatur *). Ipsa autem vis demonstrandi, quae potest intendi et augeri (cf. *hice, eumpse, tute*), affirmari non potest, sed affirmatur, quod demonstratur. Vel his explicatis exemplum hoc *Quem ego ecastor* e. q. s. superioribus similius est: nam in compluribus quoque illorum, velut Amph. 281 *Eam quoque* ***edepol***, Trin. 333 *Per comitatem* ***edepol***, alterum utrum quod de affirmato argumento vocem affirmativam praecedebat vocabulum eiusmodi erat, ut ipsum non posset affirmari. Ea vero restat discrepantia, quod pronomen non ita cum altero vocabulo in unum comprehendi potest ut illis locis *quoque* et *per*. Sed animadvertes particulae affirmativae ipsi quoque ut antecedenti pronomini vim quandam demonstrandi quamvis diversam subesse. Quod enim distinctius affirmatur, distinctius hac ipsa ratione quodammodo demonstratur. Concurrunt igitur post eiusdem enuntiati primum vocabulum duo vocabula adeo exilia, ut neutrum proprie affirmari possit, eademque duo elementa demonstrativa. Atque cum consentaneum sit, particulam affirmativam, in qua pronuntianda vox remittatur, propter ipsius tenuitatem ad vocabulum antecedens se reclinare, licebit existimare, pronomen et quod sequatur vocabulum affirmativum propter naturarum quandam similitudinem eo libentius inter se coire et ita quidem arte, ut superiorum exemplorum ratio tali quoque collocatione perspiciatur. Vt igitur in illis exemplis, velut Trin. 333 *Per comitatem edepol*, prima affirmati argumenti duo vocabula ita cohaerere cogitantur, ut affirmandi vox quasi unum sequatur, ita in hoc duo ita disiuncta, ut eorum priori pronominis cum voce *ecastor* artior quaedam coniunctio succedat. Haec iam interpretatio apta erit, ubicumque vox affirmativa ipsius quod affirmetur argumenti secundarium pronomen sequitur, huiusce vero loci proprium, quo derivatio sublevatur, id est, quod primaria vox est relativa **). Eadem collocatio (*Quem ego ecastor*) redit ib. 918.

*) Pronominum atque quae hac ratione non differunt pronominalium adverbiorum exilitas multis linguae latinae exemplis probatur. Inter quae ea excellunt, in quibus illa vel artissimo conexui grammatico interponuntur. Huc praecipue pertinent iurandi et obsecrandi formulae, velut Ter. Andr. 538 *Per* ***te*** *deos oro et nostram amicitiam* e. q. s. Pl. Men. 990 *Per* ***ego*** *vobis deos atque homines dico.* Rud. 627 *Per* ***ego*** *te haec genua obtestor.* It. Ter. Andr. 834. Sane alia quoque membra interponuntur, sed interruptione prius pronominibus facta, velut Pl. Bacch. 905 sq. *per* ***te, ere, opsecro*** // *Deos inmortalis.* Etiam alia condicione mira vocum pronominalium collocatio earum tenuitate excusatur, velut Truc. 647 *Post* ***illoc*** *quam veni, advenit* e. q. s. Cf. Virg. Aen. IV, 692 *Quas* ***ego te*** *terras et quanta per aequora vectum accipio!* Quibus proprietatibus quam paria pronomina particulis aliisque similis exilitatis vocibus sint, collatis exemplis efficitur. Cf. Cic. de orat. I, 49 *Per* ***mihi*** *mirum* cum Ter. Andr. 486 *Per* ***ecastor*** *scitus.* Pl. Cas. II, 6, 18 *Per* ***pol*** *saepe.* Cic. Attic. 10, 1 *Per* ***enim*** *magni.* Gell. II, 18 *per* ***fuit*** *familiaris.* — Ter. Andr. 263 *quae* ***meo*** *cumque animo* cum ib. 63 *Cum quibus* ***erat*** *cumque.* Pl. Pers. 210 Quoi ***pol*** *cumque.*

Eodem spectat Pseud. 922

> *B Quid agit is? S. Quod* ***homo edepol*** *fortis atque*
> *bellator probus.*

ubi *edepol* secundo affirmati argumenti vocabulo *homo* postpositum est. Etiam haec forma propter singularem interpositi substantivi vim ad priores referri potest. Nam omnibus locis, quibus non diserte hominis natura distinguatur, velut Amph. 1121 *Summus imperator* ***diuom*** *atque* ***hominum*** *Juppiter.* As. 495 ***Lupus*** *est* ***homo homini***, *non* ***homo***, *quom qualis sit non novit.* ib. 490 *Tam ego* ***homo*** *sum quam tu.* Curc. 167. Rud. 255. —

**) cf. p. 39 sq.

propria illius substantivi vis adeo attenuata est, ut vis fere pronominis relinqueretur. Quod ut exemplis, quorum numerus apud poetas comicos permagnus est, paucis quidem eiusdem fabulae, ex qua hoc exemplum vocis *edepol* sumptum est, illustrem, tenuitas substantivi *homo* primum inde cognoscitur, quod saepe pronomini adiungitur, ubi hoc unum sufficit, velut v. 966 *unde ego* ***hominem hunc*** *esse dicam gentium?* 971 ***Ecquem*** *in angiporto hoc* ***hominem*** *tu novisti, te rogo.* 984 *Quis* ***is homost*** *qui iussit?* 1019 *Nimisque ego* ***illunc hominem*** *metuo et formido male.* 1103 *Malus et nequam est,* ***qui homo*** *nihili eri sui servus facit imperium.* Deinde aliis locis pro substantivo *homo* pronomen prorsus substitui potest, velut ib. v. 249 *Repraehende* ***hominem*** (= *eum*). 390 *Pauci ex multis sunt amici,* ***homini*** (= *cuiquam*) *certi qui sint.* 427 sq. ***Homines*** (= *ii*) *qui gestant quique auscultant crimina* // e. q. s. 964 *Peregrina facies videtur* ***hominis*** (= *huius*) *atque ignobilis.* 1059 *Nunc deridebo hercle* ***hominem*** (= *illum*) *si convenero.* Et hoc quoque loco *homo* ut pronomen positum est, ut verba *Quod* ***homo*** *fortis* idem significent atque *Quod* ***quisquam*** *fortis.* Vnde efficitur, hoc exemplum ab antecedente vix differre, rationem eandem esse. Ceterum hoc quoque loco primaria vox relativa est.

Atque post secundarium pronomen interponitur *quidem* ante *edepol* Men. 497

Post eam ***quidem edepol*** *te dedisse intellego.*

(adverb. *Post* BC, interiect. *Pax* R.) Interposito *quidem* nequaquam ille quo pronomen et quae sequitur particula affirmativa cohaerent nexus laxatur: immo, ut *quidem* propensius ad pronomen inclinatur, quia cum restringit maiorem vim exhibet demonstrativam quam *edepol*, ita huius vis affirmativa artius coaptatur cum particula ipsa quoque affirmativa *quidem*.

Atque alio loco, fr. Titin. 79

Ne *tu istum* ***edepol*** *extulisti pariter ut dignus fuit*

illa affirmandi ratio eo etiam facilius agnoscitur, quod quae affirmato argumento praemittitur vox affirmativa *ne* est. Nam inde, quod haec sibi pronomen continuari postulat *), sequitur, ut cum hoc pronomine artius se coniungat. Sic autem valor

*) Probavit id Fleckeisenus, Philolog. II (a. 1847), p. 61 sqq.

primae argumenti vocis (*tu*), qui quidem primariae sit, paulo deminuitur. Cf. Trin. 952 (*Ne tu me edepol* mss. *Ne tu edepol me* R.).

Eandem rationem exhibent duo denique exempla, ubi primarium quidem vocabulum derivationem non sublevat, Men. 1067

Non *me* ***edepol*** *ita promeruisti de me, ut pigeat quae velis* e. q. s.

(*me depol* B[1] *me edepol* C *edepol* B[2] R.), et praecedente composito *iam diu* Poen. 1199

Iam diu *eo* ***edepol*** *sapientiam tuam haec quidem abusa est.*

(*eo* [vel *ec*] *edepol* A *edepol* BC *sapientiam tuam edepol* G.-L.). Quibus locis utrum interposita pronomina (*me, eo*) arte critica propter sententias delenda sint necne, omnino non meum est diiudicare: pronomen certe secundarium ipsum propter naturam suam, ut vidimus, derivationi non obstat.

His expositis formis series eorum exemplorum, quae ad simplicissimum illud postpositae affirmationis reduci possunt, finita videtur. Sed continuatur tamen aliusmodi formis. Quorum prima sit fr. Afran. 384 sq.

Diram tuam animam in naribus primoribus
Vix pertuli ***edepol.***

Quo loco nullam reducendi facultatem dari vocabulorum quae particulam *edepol* praecedant numero aut natura manufestum est. Etenim vel haec collocatio: *Diram tuam animam* ***edepol*** *in naribus* e. q. s. a priorum ratione diversa foret. Sed ab illo exemplo, quod explicatione immutata simplicissimis postpositae affirmationis adiungere potuimus, Amph. 1074 *Credo edepol*, id tantummodo hoc discrepat, quod affirmatum argumentum quod vocem affirmativam praecedit non unum vocabulum est sed plura complectitur. Sed etiam subiecti praedicatique et attributorum constructio, quia cohaerentem in se sententiam efficit, quoddam unum est singulis singulorum vocabulorum notionibus non dissimile, praesertim illi vocabulo *Credo*, quod unum subiectum simul et praedicatum exprimit. Eadem igitur denique ratione particula affirmativa hic et illic collocata est. It. ***edepol*** fr. Turp. 174. cf. Rud. 686 (*metus membra occupat edepol* mss. *metus membra occupat. T. Edepol* Fl.). — ***ecastor*** Stich. 89 *Is est ecastor*, ubi quae eiusdem personae antecedunt verba *Certo*

enim mihi paternae vocis sonitus auris accidit comprobant, formam verbalem *est* accentu sententiae intendi (*Er ist's, fürwahr*), quo ad maiorem vim corroborata est quam illud *est* Hec. 731 (*Est magna ecastor* e. q. s.) neque ut illud ad vocem antecedentem inclinatur.

Subiungo etiam Pseud. 1280

Nimiae tum voluptati **edepol fui.**

Vbi quaeritur, nonne similis explicatio adhiberi possit. Quod enim *edepol* enuntiati vocabulo a fine seiungitur, ipsum non obstat, quippe quum saepe viderimus, praesumptivae quoque collocationis rationem membris quibusdam praeeuntibus non mutari. Sane hoc *fui* ipsius affirmati argumenti constructioni inhaeret atque vel eius subiectum (*ego*) exprimit. Tamen exilitatem verbi copulativi nihilominus exhibet. Neque enim verbum proprium est, cum de subiecto *ego* non *fui* sed *nimiae voluptati* praedicentur, neque tempus perfectum sententia insigniatur*). Et vocula *fui* omissa sententia nequaquam non intellegitur. Hoc ostendit conexus, in quo ebrius Pseudolus quomodo se inter praeteritum convivium gesserit refert:

Circumvortor, cado: nenia ludo id fuit
Itaque dum enitor, prox, iam paene inquinavi pallium.
Nimiae tum voluptati edepol fui. *datur ob casum cantharus.*
Commuto ilico pallium, illut posivi.

Qua praecisorum enuntiatorum continuatione *fui* si omittitur facile mente suppletur. Ergo hoc particulae *edepol* exemplum ita ad priorem formam reduci potest, ut dicatur, ea quae ad explendam sententiam quae affirmetur necessaria sint, hoc quoque loco particulae illi praemitti.

Alia exempla, quae ad simplicissimam formam alterius utrius affirmandi generis, affirmationis praesumptae aut postpositae, referri possint, non exstant. Illa exempla sunt circiter quingenta, restant quattuor. Quorum numerorum ratio ea est, ut quod ceterorum exemplorum simplici verborum interpunctione ad illa accommodari possit, probabiliter accommodetur. In hunc modum

*) Cf. ib. 257 *Dedi, dum* ***fuit.*** — Poen. 476 ***Fuere:*** *verum ego interfeci.* Stich. 241. — Ps. 248 *Mortuost, qui* ***fuit:*** *qui est, is viuost.* Truc. 673 *Nimio minus saeuos iam sum, A., quam* ***fui.***

iudicandum est de Cist. I, 1, 15 sq., quos versus Ritschelius ad Mil. 1309 adnotatos in hunc numerum restitui iussit

Quód ille dixit qui secundo véctust tranquilló mare
Véntum gaudeo ***ecástor*** *ad te,*

qua descriptione de verbis quae contemplaturi sumus *Ventum gaudeo ecastor ad te* nihil mutatum est. Verba illius, '*qui secundo vectust tranquillo mare*', ad suam condicionem iocose refert meretrix Gymnasium, quae ab altera quam compellat meretrice lepedissime prandio accepta est. Quibus ambiguitas exprimitur, cum *ventum* et forma sit verbi *venio*, ut suppleatur *esse*, et substantivum*). Vt haec sententia perscripta apparet, *ecastor* praeter consuetudinem secundario affirmati argumenti verbo (*gaudeo*) postposita est. Sed etiam sic potest interpungi

Quod ille dixit qui secundo vectust tranquillo mare
'*Ventum gaudeo*', ***ecastor*** *ad te.*

Sic distinctum proverbium habemus *Ventum gaudeo* eadem quae ante apparebat ambiguitate. Et prius quidem quam Gymnasium verba *ecastor ad te* addit, ambiguitatem eam ad illum, a quo exemplum sumpserit, atque ad se aeque spectare vult, deinde planius ad unam se refert. Quod iam ad collocationem particulae *ecastor* attinet, aut verba *Ventum gaudeo* cogitatione ita comprehenduntur, ut huic proverbio *ecastor* quasi secundo eiusdem enuntiati loco postposita videatur, aut, quod forsitan magis placeat, verba *ecastor ad te* adeo ab illo proverbio disiuncta intelleguntur, ut quasi recens enuntiatum *ad te* verbis *Ventum gaudeo* repetitis mente supplendum voce *ecastor* praesumptive affirmatum appareat ('*Ventum gaudeo*' — ***ecastor*** [sc. *ventum gaudeo*] *ad te*).

Tale exemplum etiam est fr. Vidul I, 15. Colloquuntur Dinia senex et Nicodemus adulescens, quorum hic inopia adductus illi se ad opera rustica locaturus est.

D. Laboriosa, adulescens, vitast rustica.
N. Vrbana egestas ***edepol*** *aliquanto magis.*

*) Cf. Curc. 314 sqq.: *C. Obsecro hercle, facite* ***ventum*** *ut* ***gaudeam.*** || *Ph. Maxime. C. Quid facitis quaeso? P.* ***Ventum.*** *C. Nolo equidem mihi* || *Fieri* ***ventulum.*** *Ph. Quid igitur? Esse ut* ***ventum gaudeam.***

Quorum versuum alterius sententia particulam *edepol* post duas affirmati argumenti voces *Vrbana* et *egestas* collocatam exhibet, quae collocatio nullo pacto ad aliquam priorum referri potest, cum secundarium vocabulum ne pronomen quidem aut pronominale sit. At non necessarium videtur interpretari, Nicodemum verba *Vrbana* e. q. s. uno tenore pronuntiare. Sed, si sic interpungitur:

(D. Laboriosa, adulescens, vitast rustica.)
N. Vrbana egestas, — ***edepol*** *aliquanto magis.*

interpretari licet, illum, postquam Diniae verbis *Laboriosa — vitast rustica* verba *Vrbana egestas* contraposuit, ut exprimeret, urbanam egestatem aequo iure laboriosam dici posse, orationem suam — quae iam absoluta videbatur — rursus excipientem etiam addere cum affirmatione *edepol aliquanto magis*, ut hic versus ex antecedente in hunc fere modum suppleatur: *(Laboriosa est) urbana egestas, edepol (laboriosa) aliquanto magis. Edepol* igitur quasi initio recentis enuntiati iam conspicitur.

Atque tertium eiusmodi e manuscriptis addo locum, Truc. 347. Dinarchus adulescens questus, meretricem Phronesium — quam vehementer amat — se non iam '*respecturam*' esse, quia non iam pecuniam habeat, post v. 343 *Post factum adflictor, qui antepertum perdidi* iocose sic pergit (v. 344 sqq.)

Verum nunc si qua mi obtigerit hereditas
Magna atque luculenta, nunc postquam scio
Dulce atque amarum quid sit ex pecunia:
Ita ego illam ***edepol*** *servem itaque parce victitem,*
Vt — nulla faxim cis dies paucos siet.

(*edepol servem illam* Sch.). Horum versuum in paenultimo (v. 347) *edepol* insolenter quarto affirmati argumenti loco exstat. At v. 347 sq. licet sic distinguere

Ita ego illam — ***edepol*** *servem itaque parce victitem,*
Vt nulla faxim cis dies paucos siet.

quo significetur, Dinarchum post verba *Ita ego illam* vocem interrumpere et paulum retinere, ut quasi audientium animos eo attentiores reddat ad iocosum quod enuntiaturus est ἀπροσδόκητον (vel παράδοξον), scilicet se, ut illa '*magna atque opulenta*' hereditas '*nulla cis dies paucos*' sit, eam servaturum esse et parce victurum, quam figuram signo quod appellamus *Gedankenstrich* notare solemus. Post enuntiati autem interruptionem recens quodammodo enuntiatum incipit, ad quod supplendum verba ante imperfecta cogitatione quasi repetuntur: *Ita ego illam — edepol (ita ego illam) servem itaque parce victitem, ut* ... (Nos fere sic: *Dann will ich, — ja fürwahr (dann will ich) jene so verwahren und so sparsam leben, dass* ...). Cuius enuntiati initio *edepol* non iam mire collocatum apparet.

Iam audacius procedere licet. Si enim proprietates illas collocandi vel poetae, qui ob varias metricas necessitates quibuscum pugnant maximam collocandi libertatem sibi expetunt, tanta constantia locis circiter quingentis[1]) persecuti sunt, cum quadam cautione et suspicione eum unum locum spectabimus, quo ea consuetudo neglecta videtur, Ter. Hec. 499

Non credidi ***edepol*** *adeo inhumanum fore.*

ubi *edepol* tertio affirmati argumenti loco positum verbum sequitur. Atque mirum accedit, quod hoc loco simplici transpositione nullaque numeri offensione accommodatio fieri potest:

Non ***édepol*** *credidi ádeo inhumanúm fore* [2]).

Si autem ad severum illum particulas affirmativas *edi*, *edepol*, *ecastor* collocandi usum is unus qui obsistit locus ne mutatis verbis quidem, sed simplici transpositione accommodatur, de illas collocandi lege, ad quam eum locum accommodari necesse sit, nullo iure poterit dubitari. Cuius legis universa forma haec sit: Particulae affirmativae *edi*, *edepol*, *ecastor*, nisi ab argumento affirmando absolutae exstant, ut hoc supplendum sit, ipsum quod affirmatur enuntiati argu-

[1]) Si exempla circiter viginti, quae in fragmentis Plauti ceterorumque poetarum scenicorum exstant, omittimus, inveniuntur particulae *edepol* exempla Plautina c. trecenta sexaginta, Terentiana c. viginti quinque, particulae *ecastor* Plautina c. centum, Terentiana ne decem quidem (quinque vel sex). Quos numeros si singulos cum numeris versuum Plautinorum (c. viginti milium octingentorum) et Terentianorum (c. sex milium centum — earum scilicet editionum computavi versus, quas supra adhibui — efficitur, si mediam rationem ponamus, particulam *edepol* apud Plautum c. in sexagesimo quoque versu exstare, apud Terentium c. in ducentesimo quinquagesimo quoque, *ecastor* apud Plautum c. in centesimo nonagesimo quoque, apud Terentium c. in millesimo quoque.

[2]) De compositione *Non edepol* vid. p. 30 adnot.

mentum aut praecedunt aut sequuntur aut ei inseruntur: ubi inseruntur, succedunt aut primariae eius uni voci aut eiusmodi compluribus, quae artius inter se cohaerentes ipsae quoque quoddam unum efficiant: singulis modo pronominibus vel vocibus pronominalibus — atque particulae *quidem* ipsae quoque quodammodo affirmativae — vel inter tales voces et particulam affirmativam licet intercedere*). Id certe constat, omnes illarum particularum transpositiones, quae manuscriptorum librorum fide et illo collocandi usu neglectis fiant, omni fide carere et prorsus reiciendas esse.

Restat, ut hinc redeamus, unde profecti sumus, ad Trin. v. 606. Hoc loco neglecto quem libri manuscripti testentur verborum ordine *At tu* ***edepol nullus*** *creduas* Reizius Hermannus Ritschelius hanc maluerunt transpositionem *At tu* ***nullus edepol*** *creduas*. Quam mutationem propterea recusabimus, quod inusitate particula affirmativa *edepol* intra affirmatum argumentum secundario adiectivo, quod sententiae negationem exprimat, postponitur. Itaque summa probabilitate versum

Nón credibile dices. St. At ***tu édepol nullus*** *créduas.*

retinebimus. Cf. Merc. 137 ***At tu edepol*** *sume laciniam atque absterge sudorem tibi.* Ter. Hec. 860 ***At tu ecastor*** *morem antiquom atque ingenium optines* e. q. s.

*) Illa lex primum quidem ad eos spectat scriptores, quos supra percensui: de ceteris seorsum videndum erit. Quod autem ad ceteras particulas affirmativas attinet, quarum multitudinem collectam circumspicio, iam nunc possum ponere, eas quoque omnes, ne ipsa quidem voce *quidem* excepta, certis collocandi legibus, quae ad illam supra expositam referendae sint, teneri. Quae observationes multas novas de arte linguae latinae syntactica quaestiones excitant, quae ad artem criticam, praesertim Plautinam, permultum afferant utilitatis. Hoc quidem libello illam materiam longius tractare mihi non licuit, sed quaestionem hanc persecutus sum ad collocationem ceterarum quoque particularum affirmativarum respiciens, ne mihi timendum esset, ne ceteris quaestionibus quae exposuissem, praecipue de tenuitate et licentia pronominum, possent refelli.

SUMMA.

Locos seorsum ab editionibus aut libris scriptis interpretandos aut scribendos tractavi hos:

Adnotationibus levius vel extensius tetigi:

VITA AUCTORIS.

Natus ego sum, Robertus Georgius Kuklinski, die XI m. Octobris a. LIX h. s. in urbe Graudenz patre Adalberto adhuc superstite, matre Maria e gente Mierzwicki, quae mihi prima pueritia erepta est. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis studere coepi Landsbergae a. W., perrexi Berolini. Quibus exornatus cum superiori in hac urbe puerorum scholae adscriptus essem, diligentissime praeparatus sum ad frequentandum gymnasium. Eorum praeceptorum, qui illic me docuerunt, praecipuam habeo gratiam rectori Heveling. Vere tunc anni LXXV h. s. rectore Bonitzio in Tertiam I receptus gymnasii Berolinensis *Zum grauen Kloster* per eius ordines ascendi ad maturitatis examen intra annos quattuor et dimidium, rectore postea Friderico Hofmann. Hic vir doctissimus summa humanitate et liberalitate viam mihi patefecit studii amplioris, quam gratiam ei debeo sempiternam. Illud igitur examen ubi sustinui, in Universitate Friderica Guilelma Berolinensi nomen dedi die VIII m. Octobris a. LXXIX ordini philosophorum, cui me adiungere usque a principio apud me consteterat. Ibi studia haec mea incepi ibique quadriennio explevi, per quod tempus me docuerunt vv. cc. Althaus, Bernstein, Curtius, H. Droysen, Gizycki, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Lepsius, Paulsen, Robert, Scherer, Schmidt, Vahlen, Zeller. Praeterea aditum mihi benigne permiserunt ad exercitationes philologicas Huebner et Vahlen, theodiscas Scherer, philosophicas Paulsen et Zeller. Huebneri societati philologicae interfui per ter sex menses. Praeceptoribus meis omnibus gratias ago ex corde, posteriorum in primis Huebnero et Vahleno, qui adhortatione et consilio studia mea praecipue iuverunt.